ANTONII FRACANTIANI VICENTINI PHILOSOPHI ET MEDICI PRAECLARISSIMI,

In librum Hippocratis de Alimento Commentarius.



Ex officina Marci de Maria Salernitani, bibliopolæ Neapolitani.

VENETIIS, 1566.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. ALEXANDRO FARNESIO CARDINALI.

F.

QVI ſummam animi tui prudentiam, magnitudinem uel mediocriter norunt, næ illi haud obſcurè intelligunt, quantum antiqui ſplendoris, ac Italici nominis decoris in te uno ſeruetur; qua de re fit, ut quicunq; bona ſperare, meliora cupere, ac eminentiſſima, & præclariſſima quæque expectare nondum animum penitus deſponderunt, in te oculos conuerſos habere necunde deſiſtant: ſperentq́; fore, ut ne dum latini nominis ſplendor elucescat ingentiſſimus, priſtinaq́; celebritatis incolumitatem adipiſcatur, ſed ut & Eu-

ropæ multis undecunque calamitatibus oppressæ fælicissimè, atque innocentissimè te auspice Illustrissime Farnesi aliquando succurratur; in qua cum pristinæ uirtutis plurima, quæ uel in primis habenda sunt, in peius ruerint, non mediocrem sanè iacturam, & optimarum disciplinarum studia fecisse plus satis compertum est; quòd post multos annos paucos admodum nacta fuerint, qui pro dignitate ipsa fouere, tueri, seruare animum adhibuerint. Quæ cum tu ab ineunte ætate auidius, neque mediocriter sectatus fueris, haud dubitandum, quin & studiorum iacturam, si te pientissimus Deus incolumem seruarit, largissimis usuris resarcias, atque omnium bonarum disciplinarum splendorem restituas, augeas. Harum cum non ignorem te primitias optimè collegisse, atque earundem principia exactissimè callere, atque etiamnum excolere studiosissimè, iure mihi fecisse uideor, qui libellum hunc breuem in Hippocratis de alimento commentariolum interpretationem

continentem

continentem nomini tuo dicandum existima uerim, cum & hic totius medicinæ principia uel unus amplectatur. quod ut facerem, perpetua mea in te, ac illustrissimam familiam tuam summa obseruantia, tuaq; ingens in me animi benignitas hortata sunt, næ mihi uitam ipsam acerbam fore arbitratus, si labores, lucubrationesq; meas, quales quales illæ futuræ sint, alterius quam tuis potius auspicijs in hominum manus prodirent, ac detrectantis uulgi balbutientes morsus euitarent. Peto abs te pro tua in omnes humanitate, ut, quicquid est, hilari animo suscipias. quod te non grauatè facturum speramus, si non libelli uolumen, sed dantis animi mirificam promptitudinem æstimaris. Vale fælicissimè: meq; tui nominis amantissimum amato. Datum Patauij Cal. Decembris M D LXVI.

Antonius Fracantianus.

Errores impressoris.

FoL	linea 20	pro facerent,	faciunt
fol.10	linea 10	pro planè,	plane
fol.10.	linea 16	pro ſoluerit,	uoluerit
fol.19	linea 30	pro ut,	cur
fol.25	linea 9	pro ſenio	unio
fol. 29	linea 3	pro & ſi in cauſa,	& ſine cauſa,
ibid.	linea 3	pro tipode	tripode
fol.31	linea 15	pro modicæ	medicæ
fol.32	linea 19	pro accedit,	accedunt,
ibid.	linea 20	pro peccat	peccant.
fol.40	linea 17	pro exhibet Hippocrates ptiſanam : nempe ut &c. legatur: exhibet Hippocrates, ptiſanam nempe; ut etc.	
fol.46	linea 7	pro particulæ,	particulas.
fol.54	linea 21	pro fecit	facit.
fol.57	linea. 5	pro determinatę partis parti, etc. legatur.determinatæ parti,cum	
fol.60	lin.ultima	pro producto,	productus.
fol.68	linea 24	pro in iuſta	iniuſta
fol.73	lin. prima	pro errant,	erunt,

ANTONII FRACANTIANI IN LIB. HIP. DE ALIMENTO INTERPRETATIO.

CONSVETVM est omnibus, qui librum aliquem interpretandum aggrediantur, aliqua præfari: quem quidem morem tam etsi Græci insecuti fuerint, maximè omnium tamen incoluere Arabes additis etiam pluribus capitibus, de quibus rarò, uel nunquam Græci meminere. Interpretaturus itaque & ego librum Hippocratis de alimento, aliqua proponenda duxi, quæ discutiam, antequam ad literæ interpretationem deueniam. Primùm quidem de titulo, deq; huius libri nomine dicam; tum an liber hic sit legitimus Hippocratis magni Heraclidæ, & Phanaretæ filij, & quænam sit in hoc libro authoris intentio aperiam; deinde utilitatem, & an patiatur liber diuisionem inquiram; postremo rationem mei consilij in huiusce libelli interpretatione apponam. Liber hic appellatur de alimento: & ita ad uerbum respondet literæ græcæ. qui uerò de nutricatione libello titulum facerent, permutant obiectum in actum, & operationem; hic autem agitur non de nutricatione, neque quomodo fiat, neque plurima alia pertractantur, quæ hac in re consideranda essent, sed de ali-

mento ſcribit. Videtur autem dubium, legitimus Hippocratis liber cenſendus ſit nec ne; nam & qui cenſuram Hippocratis libris appoſuit, inquit ex ſententia ſummi medici, uel Theſſali, uel Herophili, non autem Hippocratis librum eſſe; præterea cum & Græci & omnes, ſi de alicuius libri authore iudicium ferant, ex ſententijs, & phraſi dijudicent, non ab re in dubium iſtud trahi uideatur, quòd & ſi ſententię magnum Hippocratem referant, phraſis Hippocrati reſpondere nullo pacto appareat: conſueuit enim planè, & faciles deducere ſententias proprias, ſicuti in libris de articulis, fracturis, & in libro de regimine in acutis, & in prognoſticis fecit: quæ ſi comparentur his, quæ hoc in libro habentur, ſententijs, librum hunc redarguere uidentur: hic enim ænigmaticè, & obſcurè adeò loquitur, ut diuinandum magis quandoque, quàm aſſerendum, quid ſoluerit. hæc quidem uidentur oſtendere librum non eſſe magni Hippocratis: plures enim fuere, qui ſcripſere in re medica omnes hoc nomine, omnes ex genere Aſclepiadarum, Coi omnes. Quoniam uerò & a ſummo medico, & ab omni antiquitate uideo ſuſceptum librum hunc tanquam magni Hippocratis legitimum, omiſſa oſtentatione adducendarum authoritatum, quæ magni medici infinitæ ſunt, nec non & aliorum complurium, ad obiecta reſpondebo. Statuo itaque & ego magni Hippocratis eſſe librum hunc. Quòd uerò ad cenſuram illam pertinet, ſcio illud a ſummo medico dictum fuiſſe nullibi; quodq; phraſis reliquis magni Hippocratis libris non reſpondeat, illud fortè dici poſſit, commentarium eſſe, non autem librum ad editionem ſcriptum: duo enim genera habuit Hippocrates ſuorum librorum, ut colligi poteſt & ex re ipſa, & ex ijs, quæ docuit ſummus medicus; Hippocrates autem tanquam primus inuentor multa quidem obſcurè ſcripſit, multa

multa inordinate, falsa nulla. scripsit itaque sibi commentarium, fortasse texturus quandoque librum ad editionem in hac materia. Intentio autem Hippocratis in hoc libro est agere de commodis, & incommodis ex alimento prouenientibus: ad quam intentionem respicientes omnes huiusce libri sententias in hunc scopum dirigere debemus: ita enim non difficilis adeo uidebitur interpretatio. Maxima uerò est utilitas huius libri: hic enim uidentur reposita omnia elementa artis medicæ; qui uerò non norunt doctrinam elementarem, quam optimè nouere Mathematici, philosophi, & Medici, uix possunt cognoscere utilitatem huius libri. Præstat autem elementaris doctrina, ut paucis uerbis rem totam aperiat, & ob oculos ponat: hæc ad memoriam, ad reminiscentiam, ad redarguendas falsas sententias facit maxime. quapropter utilissimus est liber hic, cum sub hoc titulo redegerit omnia elementa artis medicæ. Liber uerò, cum commentarium sit, diuidi non potest, non secus quàm sextus Epidimiarum, & cæteri consimiles; quòd si summus medicus diuiserit in quatuor libros, atque in hunc quatuor etiam ediderit libros, consueuit quandoq; non necessitate aliqua compulsus diuisionem librorum facere, sed respicit uel ad iustam, uel non iustam magnitudinem: & ita secuit Epidimiarum sextum. Nunc propositi, & consilij mei rationem lecturis declabo. Interpretatus sum codicem ex Græcis non adducta ratione meæ interpretationis: neq; in id quidquam studij ponendum censui, ut, qui malè interpretati sunt, redarguerem: licebit enim cuique uidere, & cognoscere an bene, uel perperam sit a me interpretatum. Edidi autem commentarium in Hippocratis codicem ea breuitate, quam meretur libri huius grauitas; quòd si ob id ali-

quibus uideatur difficilis, nihil ad me: scio enim nullum scribendi genus mordacium linguas effugere posse: & mihi quandoq; nocuit clarè interpretatum fuisse: & qui fruuntur laboribus meis, & detrahunt, hoc norunt: quiq; mea pro suis & in curatione morborum particularium, & quædam in ijs, quæ de febribus ediderunt. Quòd si cui uideretur, cum breuis, & obscurus sit Hippocrates, non breui, & obscura indigere interpretatione, atq; longam potius, & dilucidam uerborum expositionem mereri, quod & summus medicus quatuor libris peregit, qui ad manus nostras non peruenere, dixerim interpretis munus esse uoces, & sententias interpretari, reddere autem rationem eorum, quæ dicta sunt ab auctore, & in dubium reuocare est ex abundanti: atque ob id meretur grauissimi uiri liber tantam interpretationem, ut eius uerba, & sententiæ intelligi possint; quod qui facit, interpretis officio satisfacit. ego autem hoc facto reddidi rationem dictorum, & dubitationes apposui, sed quàm breuissimè ueritus ne idē alijs contingat, quod & mihi sæpius accidit, ut fastidio ex longitudine aliorum libros proiecerim. An uerò in omnibus Hippocratis mentem assecutus fuerim, sum nescius, in re adeò obscura; sed satis mihi sit in hac re perdifficili, & consimilibus alios in palæstram uocasse. Quòd si quis assumpto etiam hoc meo commentariolo uerbositate aliqua ostenderit, unde expositiones excerpantur, citaueritq; infinita loca, is sciat, ea, quæ ego dixi, dicturum: &, ut breuiter finiam, liber & editus, & non editus fuerit, sed pro doctis, & uera doctrina, non fucata præditis, & initiatis etiam editus, cæteris non editus.

Alimentum,

I.

Alimentum, & alimenti species unum, & multa; unum quidem quatenus unum genus, species uerò humiditate, & siccitate; et in his forma, & quantitas est, et ad quædam, & ad tot.

ACTVRVS Hippocrates de commodis, & incommodis, quæ ab alimento proueniunt, primò agit de natura alimenti supponens tanquam apertum, alimentum unum esse, & multa; a quo incipiendum cuicunque, qui naturam cuiúsque rei cognoscere uoluerit. primùm enim utrum simplex illud sit, an multiplex inquirendum est: quod et in cognoscenda natura animæ, atque hominis obseruatum est. Operæpretium autem esset ad eorum cognitionem assequendam, quæ & in hoc contextu, & in subsequentibus dicuntur; scire, quid alimentum: quod prætermissum credo ab Hippocrate tum ut manifestum ex ipsa uoce, tum ex ijs, quæ plura de ipso dicentur. Alimentum itaque est, quod in substantiam nutriti conuertitur, cui opponitur medicamentum; & est, quod qualitatibus alterat, uel ut aliqui dicunt, etiam tota substantia; neque arbitrandum, & alimentum non alterare, cum simile sit nutrito in tota substantia: & similia cum eadem non sint, dissimilia necessario etiam sunt; nutrimentum enim in principio contrarium est, & postea simile in fine: & inter nutriens, & nutritum mutua est actio, & passio. At quoniam alteratio uel insensibilis, uel leuis est, quæ ab alimento prouenit, ideo non alterare dicitur: quòd si manifestius, uehementiusq; ue alteret, & tandem in substantiam nutriti uertatur, & nutrimentum, & medicamentum appellabitur. utitur autem Hippocra-

tes,

tes hac uoce de quocunque,quod alere possit uel simplici alimento,uel medicamentoso, de quo inferius dicet, quòd dissimilia faciat. Alimentum unum est,& species alimenti una: habent enim naturam communem pluribus differentibus specie, & subalternæ species quandoque genera dicuntur; & multæ sunt species alimenti, & species subalternorum generum. Supposito itaque, atq; declarato, quòd,& quomodo alimentum unum,& multa, distinguit species alimenti in quatuor nempe in qualitate,in substantia,in quantitate, & in actione, uel uiribus. in qualitate, cum ait, species humiditate, & siccitate: in substantia, & accidentalibus formis, ubi inquit, & in his formæ: & clarum de quantitate, cum scribit, & quantitas: & in uiribus, ubi ad finem contextus addit, & ad quædam, & ad tot. Prima itaque species alimenti est in qualitate alimenti: alimentum enim aliud est humidum, aliud siccum; sed cum sit & alimentum calidum,& frigidum,cum assignat speciem hanc in qualitate alimenti, non meminit de caliditate, & frigiditate, quoniam actiuæ sunt qualitates, magisq; ad medicamen tum pertinere uidentur. Dantur uerò species alimenti in substantia boni, uel mali nutrimenti, pauci uel multi, quæ insequuntur totam substantiam, & formam rei, & ideò dixit, & in his formæ. Potest & intelligere formas accidentales, & condimenta uaria, sicuti & durities, & mollicies, & præparationes uariæ alimenti, & gustabiles qualitates. Non sunt autem addendæ differentiæ a colore, ut aliqui addant album,uel nigrum,uel odorabiles qualitates, quoniam hæc non sunt de essentia alimenti, cum nihil faciant ad conuersionem alimenti in substantiam nutriti. De speciebus uerò a uiribus alimenti ipsemet distinguet inferius. An uerò hæ quatuor species comprehendant ita alimenti species, ut aliæ nullæ

præterea ſuperſint, quæri poſſet; & cum alimentum ſit, quod conuertitur in ſubſtantiam nutriti, & ad hoc faciant ſubſtantia, qualitas, quantitas, & alimenti uires, neque omnes qualitates, ſed primæ, & ex ſecundis aliquæ, ideo nihil prætermiſſum iudico, & omnia comprehenſa in his quatuor differentijs.

II.

Auget autem, & roborat, & incarnat, et aßimilat, et dißimilat, quæ in ſingulis ſecundum naturam uniuſcuiuſque, et facultatem, quæ ab initio.

QVONIAM diuiſionem ſpecierum alimenti ſecundum qualitatem, ſubſtantiam, & quantitatem apertam cenſuit Hippocrates, has ſubdiuidere non curauit; quæ uerò a uiribus, non ita aperta fuit: quapropter in hoc contextu ſubdiuidit, & enumerat; auget enim alimentum corpus ipſum, uires roborat, & carnem facit: quæ carnis generatio non eſt uerum augmentum: quin & nutrit: ſimilia facit, & diſſimilat alterans, conuertensq; nutritum in ſui ſimilitudinem ſecundum naturam uniuſcuiusq; corporis. Non poteſt autem augeri corpus omne, ſicuti cum iam pertranſijt augmenti tempus; & uires adeò languidæ ſunt aliquando, ut roborari non poſsint, neque ita ſuperare alimentum, ut caro generetur: quæ etiam proueniunt ob alimenti facultatem, quæ ab initio, & a propria natura ei ineſt, antequam ſit uerè alimentum, & alteratum; alimentum enim aliud ualde nutrit, aliud ualde parum; aliud eſt alimentum tantùm, aliud uerò & medicamentum: quæ inſunt alimento ex propria natura, ex propria ſubſtantia, & ab initio.

Aſſimilat

mitur, ultimum uerò, quod in ſubſequentibus, & hæc dum concoquuntur, uel poſtquam etiam concocta ſunt, & appoſita, ſi euacuentur, ſi diſſoluantur, atq; diſcutiantur, exile ita fit alimentum, ut nihil eorum, quæ præſtare natum eſt, præſtare poſſit. Primum itaque illud alimentum in tempore concoctionis diſſoluitur, antequam apponatur, in prioribus nempe concoctionibus: ut cibus aſſumptus in uentriculo, uel per aluum ſecedit: uel & in ſanguinem immutatum, antequam apponatur per tertiam concoctionem, euacuatur per aliquam uiam, diſcutiturve; uel & ſi appoſitum fuerit, & aſſimilatum, & uerè nutriat, diſſolui etiam, & diſcuti contingit, ſicuti alimentum eſt, quod ex horarijs fructibus fit. Hoc uerò poteſt ob plurimas contingere cauſas, uel ratione ſubſtantiæ, uel quantitatis, uel qualitatis, & præparationis, uel ordinis, uel horæ, uel ſtudiorum, uel externorum.

V.

Deſtruit autem utrumque in tempore, & poſt tempus id, quod extrinſecus aſsidue ſuperingeſtum eſt, & per multum tempus firmiter omnibus membris implicatum eſt: & propriam quidem formam producit, priorem autem eſt quando & priores deſtruit.

IN hac particula ultimò concludit, cur, & quando alimentum diſſimilia faciat: & eſt cum adueuiens alimentum deſtruit, & in tempore primarum concoctionum, & poſt tempus illud, & in tertia concoctione. non autem quodcunque ſuperingeſtum eſt, hoc facere poteſt, ſed id, quod aſſiduè ſuperingeritur; non enim

alimentum per unicam assumptionem immutat corpora nostra, sed per usum assiduum: & nisi firmiter omnibus adhęreat membris, impliceturq;, hoc præstare nullo modo potest: longum enim actionis tempus requirit; & priorem quidem temperiem, quam formam uocat, destruit; & quandoq; & figuram, & alia, quæ ad temperiem sequuntur, immutare alimento innatum est; exempla horum habentur infinita: ex alimento enim & temperies, & forma, & mores immutantur. Sed querat aliquis, cum alimentum sit id, quod conuertitur in substantiam nutriti, & medicamentum, quod corpora nostra alterat, & immutat, cur Hippocrates, quæ medicamento conueniunt, alimento tribuat? An alimentum medicamentosum hoc facere natum est, quod omnino & alimentum dicitur ab Hippocrate?

V I.

Facultas autem alimenti peruenit & ad ossa, & ossium partes omnes, & in neruum, et in uenam, et in arteriam, et in musculum, et in membranam, et carnem, et pinguedinem, et sanguinem, et pituitam, et medullam, et cerebrum, et spinalem medullam, et uiscera, et omnes ipsorum partes, et quidem et in caliditatem, et spiritum, et humiditatem.

REDDIT rationem in presenti contextu, cur dissimilia fiant a nutrimento, curq; etiam similia, & in

singulis

singulis partibus, & in uniuerso corpore: & est, quoniam alimenti uis peruenit ad singulas partes, & ita ad uniuersum corpus, cum uniuersum sit idem cum omnibus suis partibus simul sumptis. Dixit autem facultatem alimenti peruenire, tametsi perueniat & alimentum, quoniam alimentum hæc non facit nisi merito suæ facultatis. & quoniam quidem partium nostri corporis aliæ sunt similares, aliæ dissimilares, & organicæ, & inter similares aliæ sunt uerè tales, aliæ uero uisui ita apparent non facta diligenti inquisitione, ideo Hippocrates inductionem hanc in omnibus hisce partibus facit; & primò ad ossa, quæ uere similaria sunt. & nequis crederet alimentum ad ossium tantùm superficies peruenire, subiunxit, & ad omnes eorum partes. Postea inducit in his similaribus, quæ primo aspectu ita uidētur, in neruum, uenam, arteriam, & musculum; postea inducit & in his, quæ uere similaria sunt, in membranam, carnem, & pinguedinem. Sanguis autem, & pituita a summis philosophis quandoque inter partes nostri corporis enumerantur, sicuti & hic ab Hippocrate factum est. inducit quinetiam, quòd & in medullam, quæ nutrimentum est ossium; & inducit in cerebrum, & spinalem medullam: quæ longe differt a cæteris medullis, & alterius est substantiæ. Peruenit & facultas alimenti & in uiscera, & omnes ipsorum partes: hæc enim nutriuntur: & in caliditatem, & spiritum, & humiditatem. sanguis autem, & pituita, caliditas, & humiditas, & spiritus non uere nutriuntur, sed regenerantur: attamen & in hæc per regenerationem peruenit alimenti facultas. Dubium autem esse posset, ut dixerit facultatem alimenti peruenire in caliditatem, & humiditatem, & non in frigiditatem, & siccitatem; an consistit nutritio in calido, & humido, in quibus & uita: frigiditas autem, & siccitas uitæ, & nutritioni contrarian

tur, uel quòd hominis temperies calida eſt, & humida, habito ſermone de temperie totius, quæ ex innata, & influente componitur? Et ſi prætteritæ ſunt aliæ quędam partes; ſufficit inductio facta in his, quoniam & aliorum eadem eſt ratio.

VII.

Alimenti autem, quod alit, hoc alimentum, et quod ueluti alimentum, et quod futurum alimentum.

AFFERT hic alimenti diſtinctionem, quæ & dicendis, & ijs, quæ dicta ſunt, utiliſſima eſt. de quocunque enim alimenti ſignificato uerum eſt, quòd aſſimilet, incarnet; & augeat; diſſimiliaq; faciat; & ex hac diſtinctione reddentur plurima clariora inferius dicenda. Id autem alimenti, quod iam alit, hoc propriè alimentum. alit autem, quod appoſitum, & unitum eſt, aſſimilatur autem; cui rectè opponimus fluorem ſubſtantiæ; & quod ueluti alimentum eſt, alimentum etiam dicitur, ut ſanguis, & quæ cum ſanguine nutrire partes noſtri corporis apta ſunt: cui ſanguinis profluuium, ſanguinisque inanitionem, & earum humiditatum euacuationem, quæ ſanguini proximæ ſunt, rectè opponimus; & quod futurum eſt alimentum, alimentum etiam dicitur, ueluti cibus, & chilus in uentriculo: cui rectè opponitur uomitus, & lienteria. Heſternà autem cibaria quamuis futura ſint alimentum, quoniam tamen longius abſunt ab alimento, ideo propria appellatione non dicuntur alimenta, ſed communiori. Neque quod aſſimilatum eſt, alimentum nominatur: id enim iam pars factum eſt, & in

in ſubſtantiam corporis conuerſum. id uero quod appoſitum, & unitum aſſimilatur, ſed perfectam aſſimilationem conſecutum non eſt, id propriè, & uerè alimentum, & hoc alimentum eſt; alia uerò uel ueluti alimentum, uel futurum alimentum.

VIII.

Principium autem omnium unum, et finis omnium unus: et idem principium, et finis: et quæcunq; particulatim in alimento benè, uel malè diſponuntur: benè quidem, quæ dicta ſunt, malè uerò, quæ ijs contrarium habent ordinem.

QVONIAM dixit ſuperius alimentum tripliciter dici, in præſenti particula declarat, quod omnium iſtorum unum ſit principium: & eſt facultas, qua conuerti poſſit in ſubſtantiam nutriti: quod eſt commune cuicunque ſignificato alimenti: & eſt id, quod alimentum in eſſe alimenti reponit; & finis omnium eſt unus, & eſt nutritio, & conuerſio in ſubſtantiam nutriti; hoc uero, & facultas, de qua dictum eſt, idem ſunt realiter: ut idem ſit principium, & finis; & quæcunque partialiter in alimento benè, uel malè diſponuntur, per hoc principiũ & hunc finem diſponuntur: bene quidem, quę dicta ſunt, incarnare, aſſimilare, & reliqua; malè uerò his contraria, ſicuti quæ imminuunt, languidum reddunt, excarnant. facultas uerò illa, quam poſſidet alimentum, nihil aliud eſt, quàm ſimilitudo cum tota ſubſtantia cum alito: & finis eſt conuerſio in ſubſtantiam. ex dictis itaque manifeſtum apparet alimentum eſſe unum, & multa, & quotuplex,

quotuplex, & quomodo uario modo alimentum dicatur.

IX.

Succi uarij et coloribus, et facultatibus, et in nocumentum, et in iuuamentum, et neque lædentes, neq; iuuantes et multitudine, et excessu, et defectu, et complicatione, aliquorum quidem, aliquorum uerò non: et omnium et caliditatem lædunt, et iuuant: et frigiditatem lædunt, et iuuant: facultatem lædunt, et iuuant.

INTENDENS agere Hippocrates de commodis, & incommodis, quæ ab alimento proueniunt, ex alimento, quod futurum eſt alimentum, declarat, quid in corpore contingat. & quoniam ex alimento, quod primum fit in corpore noſtro, ſunt ſucci, cum humor ſit id, in quod in primis nutriens conuertitur, ob id agit de ſuccis: proponitq; quomodo uarij ſint, quidq; nati ſint in corpore præſtare; & inquit, ſucci uarij & coloribus, & uiribus: & ſicuti uarij coloribus, ita & uiribus. Succorum autem quatuor ſunt colores, ſicuti & ſucci ipſi quatuor numero ſunt: albus pituitæ, bilis flauus, qui quandoque adeò intenſus eſt, ut rubeus uideatur: quandoq; uiridis, uel æruginoſus ad flauum proximus: bilis atræ niger, qui ſplendens quandoque uiſitur: ſanguinis rubeus, floridus, & phæniceus, & uineus; & eodem colore apparet quartus humor a cæteris tribus diſtinctus quo ad ſenſum: & eodem modo uiſitur & aggregatum quatuor

tuor humorum, cum tres in ſanguine proportionem debitam ſeruauerint. Vires uerò ſuccorum uariæ pro eorundem diuerſa temperie; ſanguis calefacit, & humectat, & ad morum facit ſtoliditatem; pituita refrigerat, & humectat, & ita reddit homines ſegnes, & bardos: neſcioq́;, quomodo quandoque dixerit ſummus medicus nihil ad mores conferre, cum & ratio, & experimentum propoſitum oſtendant; bilis calefacit, & exiccat: & facit ad ſolertiam; melancholia refrigerat, & exſiccat: & facit ad morum conſtantiam. Plura alia nata ſunt in corpore noſtro efficere, quæ numerantur etiam in textu (& in iuuamentum) ſi boni, & naturaliter affecti ſint: in quantitate, qualitate, & complicatione: non enim uera miſtio fit, ſed complicatio in humoribus ſanguini permiſtis: & tũc nutritio fit; quod de ſanguine manifeſtum eſt, & de alijs ſuccis dicendum ſanguini permiſtis; unde bilis amara, cum paucæ amaritudinis ſit, admiſta ſanguini nutrire poteſt: quod & reliqui duo ſucci faciunt; & flaua bilis amara, quæ expurgatur, iuuat in extergendis inteſtinis a mucoſitatibus, & ad excitandam expulſiuam uirtutem; melancholia pontico leui ſapore, & parum adſtringenti ſubſtantia uentriculum, & inteſtina roborat: non enim dixerim famem excitare, cum ad inferiorem, & non ad ſuperiorem uentriculi partem tranſmittatur. Pituita uerò, quoniam uerti in ſanguinem poteſt, cum ſit ſanguis dimidiatè coctus, non expellitur e corpore a natura, ſed permeat uenas ſanguini commiſta. & in nocumentum, ſi humores præter naturam affecti ſint, qualitate, quantitate, complicatione; & neque lædentes, neque iuuantes, cum paruus, uel inſenſibilis eſt exceſſus. Commiſcentur uerò, & complicantur quandoq; cum ijs, cum quibus complicari debent, ſicuti humores tres cum ſanguine ſeruantes debitam proportionem: aliquando uerò non ita com

plicantur,

plicantur, & complicatione lædunt; lædunt & multitudine, hoc est plenitudine, & excessu, & si non tantus sit excessus, ut plenitudinem faciat; & defectu, quod manifestissimum est; & qui hæc negant, sensum negant; & ita cum non complicantur, diuersi fiunt morbi ex materiæ affluxu: & caliditatem & lædunt, & iuuant succi, & frigiditatem & lædunt, & iuuant temperatum reddentes, uel intemperatum ipsum corpus; & iuuant facultatem, & lædunt: cum enim facultas sit uel forma, uel a forma immediatè ortum habeat, forma uerò uel temperies, uel a temperie, si succi lædunt temperiem, & iuuant, & facultatem lædere, & iuuare manifestum est.

X.

Facultatis uerò uariæ species.

PLACVIT Hippocrati, quoniam de facultatibus meminerat, hanc claram de facultatibus sententiam subiungere; cum uerò substantiam uirtutum nostrum corpus gubernantium ignoremus, nomine facultatis appellamus. Declaremus autem, quomodo in homine, de quo sermo est, uariæ sint species facultatis: & dicamus esse trium specierum, naturales, uitales, & animales; quæ in motiuas motu uoluntario, sensitiuas partitas per quinq; sensus, & in principes facultates imaginatiuam, cogitatiuam, & memoratiuam, quæ & diuiditur (ut a summo philosopho) in memoriam, & reminiscentiam, diuisæ sunt. Vitalis, quæ conseruando calidum innatum omnium partium, & generando spiritus transmissos uniuerso corpori uitam dat, & conseruat. Naturales sunt, quæ in gignitiuas, auctrices, & nutritiuas patiuntur. Gignitiuæ inseruiunt alteratiua, & formatrix: quæ quid sit, non audent præstantissimi medici asserere: deq; ea tantùm

tùm dicunt, esse nempe uirtutem summa sapientia, bonitate, & potentia præditam. Auctrici inseruiunt alteratrix, & nutritiua. Nutritiuæ uerò, quæ apponit, unit, & assimilat, famulantur quatuor illæ attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix. Inseruientes autem facultates re easdem esse cum ijs, quibus inseruire dicuntur, inde patet, cum generatio nihil aliud sit, quàm alteratio, & formatio; & auctio, quàm talis nutritio, ut in omnem partem fiat incrementum; & appositio, senio, & assimilatio à quatuor ministrantibus fiunt: neque ijs addenda discretiua, ut aliqui addunt; discretio enim hæc per attractionem, retentionem, & expulsionem fit; neque cognouerunt ij, quid præstet uitalis facultas distinctum a sensu, motu, & nutritione, quod superius iam explanatum est. & conseruatur quidem calor cordis per respirationem, & transpirationem, quæ in uniuerso corpore: sed transpiratio meritò istius uirtutis uitalis habetur; neque respiratio refrigeraret cor, nisi merito huius uirtutis aer in cor attraheretur; & spiritus postea transmissi a corde calida reddunt actu, quæ calida actu sunt. Quoniam autem humanæ omnes operationes saluari possunt cum his iam dictis, aliam facultatem addendam non arbitramur. sufficiunt ad operationes animæ rationalis imaginatio, cogitatio, & memoratio, quæ & simplicia apprehendere, & componere, & diuidere, & species conseruare ualeant; hæc enim uniuersalia apprehendere possunt, cum uniuersale unum sit in multis, & prædicata de abstractis formare, cum omnia a sensu dependeant: ut non sit necessarium alium intellectum agentem ponere, nec possibilem distinctũ ab his uirtutibus, sed hæ uirtutes ita excellẽtes in corpore humano est ipsemet intellectus; neque uirtus appetitiua alia est ab imaginatiua, quæ concipiens pulchrum, uel bonum in id fertur, & ei tenaciter incumbit. natura-

lis uerò appetitus nihil est, nisi ipsamet attractio. hæc autem ardua admodum cum sint, & ueritati ipsi contraria, & Peripateticis contradicant quoque, scripta sint a me non asserendo, sed ad animos studiosorum excitandos.

XI.

Succi corrumpentes et totum, et partem, & extrinsecus, & intrinsecus: spontanei, et non spontanei, nobis quidem spontanei, causæ uerò non spontanei.

QVONIAM succi ita nocent quandoque, ut corrumpant, ob eam rem de his agit Hippocrates in præsenti parte declarans, quid corrumpant, & unde eueniat. Totum corrumpunt succi, ut in febribus, in Hipposarca, & Elephantiasi: partem in Sphacelo, & infinitis alijs: & intrinsecus in febribus: extrinsecus in serpentibus ulceribus: intrinsecus, & extrinsecus in Elephantiasi. spontanea dicuntur, quæ confertim, & sine causa externa fiunt: hic uerò utitur Hippocrates in ea significatione, quæ sine causa fiunt: & ait succos dari spontaneos, & non spontaneos; & cum nihil sponte fiat, sed omnia a causa legitima fiant, declarat, quomodo aliqui succi dicantur spontanei, inquitq; , nobis ita dici, cum causas habeant occultas: causæ uerò non dicuntur spontanei, cum omnia, quę fiunt, a causa fiant legitima. Succorum autem malorum tot sunt genera, quot & bonorum, & multarum sunt specierum. malus sanguis ab excrementis, quæcunq; illa fuerint, inquinatus, uel intemperatus, uel putridus; sanguis etenim, sicuti & cæteri humores putrescere potest, maximeq; cum calidus, & humidus sit; tantam uerò putredinem ferre non potest, ut supramodum assatus sub forma

ſanguinis remaneat;at ſi ſupramodum aſſetur,eius tenuis pars in bilem, craſſa autem in melancholiā uertitur; cum autem putreſcit, nec tantam tamen contrahit putredinē, ut nimiū aſſetur,quodammodo bileſcit: amareſcit enim, ſicut mel, & dulciora omnia per ulteriorem decoctionē. Huius uerò humoris non diſtinguuntur ſpecies per colorem,ſicuti bilis,neq; per ſapores,& ſubſtantiam, ueluti pituitæ; & ſi bilis diſtinguantur ſpecies,ſicuti & ſanguinis, tamen doctrinæ clarioris gratia a coloribus diſtingui cōſueuere. Eſt porrò mala bilis ex permiſtione malorum humorum inquinata, ut notha ex permiſtione pituitæ, aut melancholiæ,& ſpuria dicitur: appellant Arabes notam, & diſtinguunt in notam maioris famæ, & minoris famæ. eſt & mala bilis alterata,& intemperata:cum enim ichoribus ſibi debitis exſiccata fuerit,calidior, & ſiccior fit, & eſt uitellina dicta, quoniam ouorum uitellis & in ſubſtantia,& in colore ſimilis conſpicitur: quæ ſi ulterius incaleſcat, primùm quidem uiridis, poſtremò & magis exuſta æruginoſa fit; prima quidem praxina dicitur,quoniam uiridibus porrorum folijs aſsimilatur, & ob id a neotericis porracea uocatur; alia uerò ferri æruginī,non æris ſimilis eſt, atq; ob eam rem æruginoſa nominatur; eſt & Iſatodis, quæ ad uiridem deducitur; generatur autem praxina in uentriculo malis illis aſſumptis cibarijs, ex quibus facile generatur, ueluti ſunt olera, & porcinæ carnes; poteſt autem ex uitellina in uenis generari: & nihil prohibet, quinimo neceſſario ad calefactionem, & exſiccationem uitellinæ bilis praxina generatur; putreſcit & bilis in uenis,& extra uenas,& in determinata parte; ſicuti & melancholia, & pituita; Sanguis autem ſemper in uenis:extra uenas uerò tranſmiſſus aut in grumum concreſcit, aut liueſcit, aut permutatus in alios humores tandem putreſcit, in minorem, aut maiorem cauita-

tem effuſus. Atra porrò bilis exuſta fit bile, aut ſanguinis fæce, quæ melancholia dicitur, quæ & ipſa mala fit permiſtione malorum humorum, alteratione, & putredine; at exuſto ſanguine tenuis eius pars in bilem, craſſa uerò in melancholiam uertitur, & ex his atra bilis generatur, non immediatè ex ſanguine. Pituita ulterius calefacta per partem dulciorem in ſanguinem conuertitur; quòd ſi exſiccata ualde, combuſta, & incraſſata fuerit, in tophum conuertitur, ut in artrithide inſpicitur; ſalſa autem pituita ſub forma pituitæ remanens tantam uſtionē ſuſcipere non poteſt, ut atra fiat; mala pituita eſt ipſa ſpuria alienis excrementis inquinata, cui ſi exuſta permiſceantur, uel exuratur, ſalſa redditur; neque aliter gignitur maris ſalſedo ſecundum philoſophos, quàm ex miſtione uſtæ materiæ cum aquea; quòd ſi putredo id efficiat, accidit; quoniam ex putredine fit uſtio, & incineratio, ſicuti & in putreſcentibus ſtercoribus non obſcurè conſpicimus: & ita generari ſalſedinem in lixiuio, atque in nitro noſtro artificiali manifeſtum eſt; neque ex permiſtione cuiuſque rei amaræ cum aquea generatur humor ſalſus, ſed ex amaro exuſto; aut mala fit pituita alterata, ſicuti refrigerata, quæ acida redditur: aciditas uerò immediatè a frigiditate, mediatè quandoque a calido fit, ut apparet in uinis aceſcentibus diminuto calore naturali ab eo, qui ambientis eſt; temperata etiam pituita, quæ dulcis dicitur, & inſipida naturalis, plurimùm refrigerata, & condenſata, ut ſubſtantia uitro aſſimiletur, uitrea appellatur: incraſſata uerò, & condenſata ex exſiccatione gipſea nominatur: putreſcit quoque ſicuti & cæteri humores. Capitur ex hoc loco, nihil ſpontaneum eſſe, hoc eſt ſine cauſa fieri: unde uidetur negari caſus, & fortuna: illa enim ſpontaneè uidentur accidere, & ſine cauſa, ut cum quis fodiens terram adinuenit theſaurum, cauſa ad

inuentionis thesauri non est quidem fossio terræ, sed rarissimè istud contingit, & uidetur quoddam spontaneum; & si in causa: & idem dicendum de tipode cadente, ut quis sedere possit. An non negatur casus, & fortuna respectu nostri, sed in se, & respectu causarum: respectu enim illarum necessariò eueniunt, quæ contingunt: & fossio terræ non est causa perfecta inuentionis thesauri, sed fossio terræ, ubi est thesaurus; & semper cum fodietur terra, ubi thesaurus est, necessario adinuenietur thesaurus. Nos autem capimus non totam causam, sed partem tantùm, fossionem nempe terræ, cum deberemus causam capere fossionem terræ ubi est thesaurus: & ita causæ istud non erit spontaneum, sed nobis malè capientibus causam; eodem modo cadens tripoda tantæ grauitatis in partibus & ita librata semper cadet, ut quis sedere possit, ut causa sit non perfectè sumpta a nobis casus tripodæ, sed casus est tripodæ ita grauis, & libratæ; idem etiam dicendum de casu tegulæ, & aduentu equi, quæ sunt posita pro exemplo a summo philosopho qui neque ipse negaret casum, & fortunam dari respectu nostri, non autem respectu causarum, & in se: & si ponat has causas per accidens, intelligit causas non adæquatas, neque eodem modo musicus ædificat, sicuti fodiens terram adinuenit thesaurum: musica enim nihil impartitur ædibus, fodiens autem terram aliquid impartitur ad inuẽtionem thesauri, sed non est adæquata causa.

XII.

Causæ autem rursus aliæ manifestæ, aliæ obscuræ: & aliæ quidem ualidæ, aliæ uerò inualidæ.

Quoniam

QVONIAM de causis meminit in superiori particula, ideo hic agens de causis dat duas diuisiones earum: & primò diuidit in externas,& internas, in præincipientes,& antecedentes; uocat autem externas manifestas, internas uerò occultas: consueuit etenim uocare sponte facta,et sine causa, quæ ab interna fiunt causa, & non externa: ita uocat uomitus,& fluxus alui spontinos, sic mictum sanguinis mictum sponte factum. Hæc uerò diuisio non excludit subdiuisionem in continentē, quam coniunctam dicunt, & non continentem; neque debet hæc continens causa negari, cum omnia, quæ suum esse habent in fieri, talem habeant causam; omne siquidem, quod fit, ab aliqua fit causa: & si habet esse in fieri,ea causa posita ponitur,& remota remouetur; & hæc causa potest esse interna, & externa; quæ uerò facta sunt, causam non habent, loquimur autem de efficiēte,de qua loquuntur medici, & hic Hippocrates. non itaq; reprehendendi Arabes, qui ponunt causam non uicariam, quæ continens,uel coniuncta est, licet coniunctam uocent causam immediatam,ut tantùm lis sit in uerbis; & uera asserunt, qui in morbis negant dari causam cōtinentem, cum morbus habeat esse suum in facto esse; & uerum dicunt, qui ponentes eam in affectibus, qui passiones uocantur, in morbis dari dicunt: uocantur enim & passiones quandoque morbi. Alia diuisio est in causam ualidam, & inualidam; ualida illa dicitur,quæ effectum efficere potest: inualida, quæ non potest, uel quæ facile breui efficere, uel non efficere potest; quòd si causa dicitur, dum causatur, & efficit, quæ efficere non potest, causa non erit dicenda proprie,sed communi tantùm appellatione, quoniam nata est id efficere,nisi ob sui languorem,uel patientis indispositionem,uel quoniam tempore debito ad patientem non applicatur,& ita quandoque dicitur aliqua causa uel

ualida, uel inualida, uel poſſibilis, uel impoſſibilis. Dantur uerò & aliæ cauſarum diuiſiones in cauſam actu, potestate, & per accidens, & in eas, quæ nobis neceſſario, & non neceſſario occurrunt: de quibus nihil Hippocrates: non enim omnes cauſarum diuiſiones tradere intendebat, ſed aliquid tantùm de cauſis dicere, quoniam de ijs facta erat mentio.

XIII.

Natura abundè præſtat omnia omnibus.

DE malis ſuccis, qui & lædunt, & corrumpunt corpus, ſermonem inſtituerat Hippocrates, ad quos redit interpoſita ſententia de cauſis: inquitq́; , exiſtentibus in corpore ijs humoribus naturam abundè omnia omnibus ſubminiſtrare; opitulatur autē natura omnibus abunde omnia præſtando, quæ opportuna ſunt: ſicuti & alibi inquit, naturæ morborum medicę: quam ſententiam ſummus medicus declarauit. Neque tamen uniuerſalis intelligenda hæc ſententia, ut quidam putant; aliqua etenim a medico fieri poſſunt, & non a natura, ſicut repoſitio luxati, & aptatio confracti membri, & remotio morbi in numero, & uitiata figura; ſed cum dixit, naturæ morborum medicæ, intelligendum, ut hic, in malis ſuccis, & in morbis ex his; & qui dicunt, omnium naturam operatriçem, medicum uerò miniſtrum, ſi uera aſſerunt, idem intelligere debent.

XIIII.

In hanc uero extrinſecus quidem cataplaſma, linimentum, unguentum, nuditas, et cooperimentum & totius, & partis: caliditas,

tas, & frigiditas; eadem ratione adstrictio, & ulceratio, & morsus, & molestia.

HIPPOCRATES undequaque admirabilis cum dixisset naturam omnino sufficere, subiungit, quomodo impediatur in suis operationibus, quomodo ue in hãc peccetur: & inquit, extrinsecus in hanc peccari cataplasmate, inunctione, & inspersione totius, & partis, cæterisq; etiam enumeratis; quod boni medici non est; Medicus enim naturæ minister est, qui quidem re uera medicus sit, non pharmacopola ex triuio: tantùm enim à iusta naturæ ministri appellatione abest hic, ut uel maximè contrarium nomen ipsi magis conueniat inimico nempe & naturæ ipsius, & ægrotantium hosti iure appellato. Medici enim isti admirandi arbitrantes, nisi quis ingressus ad ægrum, & succingens se uel cataplasma imposuerit, uel perfuderit, adusserit, uel clisterem indiderit, uel uenã inciderit, uel cucurbitulas adiunxerit, uel confricuerit; uel nutrierit, aut huiusmodi aliud factitauerit, nihil ab ipso gestum esse artificiosum, quoties ad ægrum accedit; toties peccat: Inquit itaque in naturam peccari cataplasmate; est autem cataplasma id, quod malè aliqui emplastrum uocant: linimentum ex aliquo pingui: unguentum, olea spissamentis, & odoribus imbuta: hæc enim quandoque uel alterando, uel poros obstruendo impediunt crises, & maximo sunt impedimento ipsi naturæ, ut non possit omnibus sufficere. Nuditas, & cooperimentum aut condensando, aut nimium rarefaciendo, & euocando calorem naturalem eodem modo impediunt; & hæc possunt esse & totius, & alicuius partis determinatæ; linitio, inunctio, nuditas, & cooperimentum & totius, & partis. officiunt caliditas; & frigiditas quoque uel alterando,

rando, uel condensando, uel rarefaciendo, & euocando. Adstrictio etiam, quæ medicamentis extrinsecus adhibitis fit, naturam sæpius impedit, ut crisim præstare non possit; eodem modo ulceratio alicuius partis, & morsus, sicuti uesicarum inductio, & molestia omnis, ueluti quę dolorem inducunt aut constrictione, aut compressione, aut alio ingenio. Mos est autem Hippocratis in ijs, quæ sunt eiusdem rationis, aliquibus positis alia intelligenda relinquere sicuti acopa, & emplastra propriè uocata, & similia, quæ agunt uel per primas, uel secundas, uel tertias, uel quartas qualitates extrinsecus applicita.

XV.

Intrinsecus autem et quædam prædictorum, & ad hæc causa occulta, & parti, & toti, & alicui, & non alicui.

POSTQVAM in superiori particula declarauit, quomodo peccetur in naturam a medico per extrinseca, in hac parte declarat, quomodo & per intrinseca: & inquit, intrinsecus autem & quædam prædictorum, ut calfacientia, & refrigerantia, & adstringentia uel cibaria, uel medicamenta exhibita; & ad hæc quæ agunt uel a tota substantia, uel ab occulta proprietate, ut dicunt isti: & hoc credo Hippocratem intelligere per causam occultā, quæ tota substantia in nobis operatur: & hæc tota substantia nihil est aliud, quàm proprietas temperamenti: quæ cum occulta sit, (non enim possunt cognosci certi hi gradus, qui si cognoscerentur, qualem Apollinem, & Aesculapium mente concipimus, tales & nos quandoque fore speraremus) meritò proprietas occulta dicitur; hæc uerò quæ hoc modo agunt, quędā toti impartiuntur effectum,

ut Theriaca: quædam parti, ut Pæonia in Epilepsia: & hæc alicui nocent, & alicui non, propter diuersas præparationes, & propter uarias indiuiduorum temperamenti proprietates; ex quibus & infinitæ, & ineffabiles oriuntur proprietates, quæ indiuiduales ab istis appellantur. Locus autem hic dignus est dubitatione, cum omnes, qui faciunt medicinam, nunquam ad ægrotantes ingrediantur, quin aliquid noui uel intrinsecus, uel extrinsecus circa ipsum operentur; & rationabiliter: calore enim exurente cataplasmata refrigerantia, & epithemata Hippocondrijs, & thoraci imponuntur: uentriculo dolenti cataplasmata refrigerantia, uel calefacientia apponuntur: liniuntur anodinis dolentes partes: & ad alterationem quarundam partium unguntur, nudantur, qui nimium resoluuntur ex intenso calore, & cutis raritate: cooperiuntur, qui cooperimentis indigent, ut foueatur calor naturalis, & a frigore protegantur; refrigerantur quandoque etiam uentilatione, ut ij, qui nimio sudore exoluuntur; calefiunt autem & pannis calidioribus, & fomentis per spongias, qui uentriculi dolores, & uentris patiuntur; adstringuntur corpora, quæ nimium difflantur, & euacuantur per cutim; ulcerantur, ac ijs morsus, & molestia inducuntur pro reuellendo; quæ omnia adiuuant naturam exterius applicita; non itaque peccant medici his ingenijs: medicus enim minister est naturæ, cum eam adiuuat, eodem modo uenam secando, pharmacum exhibendo, intrinsecusq; calefaciendo moderatè, illis quidem materiã minorando, his uero fouendo calorem naturalem, concoctionem accelerant; quin & qui sirupis, & decoctis refrigerant remouendo calorem præternaturalem adiuuant concoctiones; & quæ a tota substantia agunt, in pestilentibus exhibentur febribus & a summis medicis. Quomodo itaque dictum est ab Hippocrate, his medicos in natu

ram

ram peccare? Responsio sit, intelligi Hippocratem, sicuti intelligit ipsum & summus medicus, cum non sumus coacti simptomatibus intendere, & de his factis; cum futura est crisis, & præcipue in morbis acutis, & iam ipsam instantem uidemus: tunc enim tota res naturæ permittenda; ex quocunq; enim leui ab istis uocato auxilio nocetur; quod an temporibus nostris obseruatũ sit, uideant alij: hoc enim unum dici mihi posse uidetur, uel rarò, uel nunquam apparere crises assidue impedita natura, & molestata ab ijs auxilijs uocatis.

XVI.

Euacuationes secundum naturam uentris, urinarum, sudoris, sputi, muci, uteri, per hæmorrhoidas, uerrucam, lepram, tuberculum, carcinomata, e naribus, pulmone, uentre, sede, cole secundum naturam, et præter naturam, horum discrimina alijs secundum aliam rationem, aliquando etiam aliter.

REDVNDANTIBVS malis succis in corpore opitulatur natura per euacuationes per diuersas partes pro natura humorum, & pro ut in diuersis locis repe- riuntur; neq; unquam aliter sanantur magni morbi cum materia, quàm per euacuationem. est & alius modus per decubitum in aliquam partem: qui & si bonus, non tamen ita amplectendus, sicuti primus; utrunque horum proponit enumerando diuersas euacuationes Hippocra

tes: & in fine declarat, quo modo alij aliter, uel non aliter distinguant naturales euacuationes ab ijs, quæ sunt prçter naturam: & inquit, dantur euacuationes secũdum naturam sicuti uomitus, urinarum (plurimi enim morbi sanantur per lotium, ut in epidemijs:) eodem modo sanantur alij per sudorem, per sputum, quod distinguitur a muco, quoniam hoc non totum excrementosum, mucus autem totus præter naturam, qui tamen quandoque euacuatur secundum naturam præcedentibus signis concoctionis in lotio: per uteri profluuium, & fluorem mẽsium per hçmorrhoidas etiam ex eius fluore sanantur plurimi morbi: & istæ omnes euacuationes sunt per excretionẽ. Verruca uerò uel sessilis, uel pensilis, lepra, tuberculum, & carcinomata sunt euacuationes per decubitum; redit postea ad euacuationes per excretionem e naribus, sicuti hç morragia, pulmone plurium materierum, uentre inferiori per secessum, sede, uel per fistulas sedis, cole, ut in gonorrhea, cæterisq; euacuationibus per colem: & ex sede etiam per hçmorrhoidas, uel circumstãtes partes manat ichorosa materia. Mos est autem Hippocratis, ut in ijs, quæ sunt eiusdem rationis, uno dato alia intelligenda relinquat. In secunda uerò particula inquit, hæc & esse secundum naturam, & præter naturam: quandoque in detrimentum, quandoque in perniciem, quandoque in iuuamentum. Alij autem aliter ponunt discrimina inter euacuationes naturales, & prçter naturam; aliqui uerò eodem modo; quos uerò intelligat, & qua ratione distinguant, diuinare difficile esset, cum antiquorum sententiæ unà cum eorum scriptis exciderint. Dicamus itaq; bonas euacuationes esse eas, in quibus præcedit concoctio, subsequitur uerò conferentia, & leuis tolerantia. Quòd si quis his principalibus relictis dicat eam esse secundum naturam, quæ fit in die critica, nihil distinctum dicit: istud

enim subsequitur, sicuti est ad id, bonam esse euacuationem materiæ morbum facientis, & per uias consuetas morbos tales remouere; quòd si hæc omnia copulentur, perfecta erit distinctio; & si illa prima sufficiant: in simioticis tamen optimum est omnia signa insimul colligere.

XVII.

Vna natura sunt hæc omnia, & non una: multæ naturæ sunt hæc omnia, & non una.

NON de uijs euacuationis, sed de materia euacuata protulit hanc sententiam, & intelligitur; inquit autem hæc omnia esse naturam unam, unum genere excrementa omnia, & superflua, & excernenda: & ita sunt hæc omnia unius naturæ; & hæc eadem sunt non unnm specie, sed diuersarum specierum. ne quis tamen crederet esse duarum specierlm, sed multarum, subiungit, multæ naturæ sunt hæc omnia, & non una. multæ autem sunt horum species subdiuidendo, ut superius dictum est; quod colligitur secundo prognosticorum.

XVIII.

Pharmacia sursum, et deorsum, et neq; sursum, neque deorsum.

VIDETVR sententia clara pharmacum aliquod per uomitum purgare, aliquod per secessum, aliquod casu aliquo neque per uomitum, neque per secessum: uel pharmaciam sursum exhiberi per os, & deorsum per ea, quæ infunduntur; & neque sursum, neq; deorsum per omphalia dicta, & alia, quæ exterius applicita

uentrem,

uentrem, & uomitum mouent. ſed inartificioſæ uidentur omnes iſtæ interpretationes: neque quid intendat Hippocrates, neque qua occaſione hoc dixerit, neque quid reconditi habeat hæc ſententia, afferre poſſumus; artificioſius itaque quid,& maximè ad finem artis conducens, quodq; optimè præcedentibus connectatur, intendere Hippocratem arbitrandum. Cum enim dixiſſet, naturam per diuerſas uias purgare corpus, & alibi, quo maximè natura uergit, eo ducere, ſubiungit hanc ſentētiam, pharmacia per ſuperiora purgandum, quandoque per inferiora: quandoq; non expurgandum, & pharmaceuin, ſed alijs ingenijs, & alia uia corpus expurgandum, ſicuti facit & natura ipſa: ut ex dictis inferat hoc hunc curatiuum canonem in expurganda materia: uel quòd conſueuiſſent medici illorum temporum ſemper pharmaco, uel per uomitum, uel per uentrem expurgare; uel quòd uaticinatus ſit Apollineus uates fore tempora, & medicos, cum ſola pharmacia uelint omnes morbos a materia curare. pharmacia uerò pro latina uſurpata eſt, & pharmaceuin; illud quidem medicamentum purgans, hoc uerò medicamento purgante euacuare ſignificat. Pharmaca autem hæc ſimilitudine totius ſubſtantiæ, quæ nihil eſt, quàm proprietas temperamenti, attrahunt familiarem, & ſimilem humorem, ut magnes ferrum; quòd ſi ad ſuperiorem uentriculi partem fiat attractio, ſurſum, & per uomitum euacuat: ſi ad inferiorem, deorſum, & per ſeceſſum. quòd uerò alia attrahant ad partem ſuperiorem, alia uerò ad inferiorem uentriculi, & inteſtina, non tantùm meritò occultæ proprietatis fit, quàm ſubſtantiæ leuioris, uel grauioris, & qualitatis, ut hæc magis affligat os uentriculi, quàm illa: uel quoniam habent partes tenuiores, quæ penitius ſtatim ſumptæ in os uentriculi ſe inſinuant: uel ratione acredinis, ut quandoque, quæ inferius

ferius euacuare consueuere, uomitiua efficiantur; quandoque uerò & uomitiua per secessum educunt uel ratione medicamenti, uel corporis, uel externorum, ut expertissimi Arabes docuere.

XIX.

In alimento pharmacia optimum, in alimento pharmacia malum.

DVAE fuere interpretationes huius loci: alij enim putarunt Hippocratem intelligere alimentum, in quo uirtus pharmaciæ, & laudare illud tanquam optimum, & quandoque contradictorie dicere illud malum, uel optimum: alij uerò intelligũt locum hunc de cibarijs, quæ alterant, ut illa optima sint, & mala; quas expositiones tametsi summus medicus non reprobet, attamen quoniam de pharmacia est sermo, quam uocem in proprio significato semper obseruauit Hippocrates, uidetur locus hic hanc ultimam expositionem non ferre; primam itaque, cum infiniti alij sint modi, quibus permiscetur pharmacia cum cibo, tanquam diminutam relinquo: dicendumque mihi uidetur, quòd postquam de pharmacia mentionem habuit, & ex commodis alimenti est quandoque permisceri cum cibo pharmaciam, & permistio pharmaciæ in alimento optimum est, & quandoque malum, ideo primùm hanc proponit sententiam: & inferiùs in duobus uerbis, declarat, cur quandoq; optimum hoc sit, quandoque malum. permiscetur medicamentum soluens cum cibo, uel parum ante cibum assumptum, ut consueuit ipsemet statim capto pharmaco ptisanam exhibere, hæc enim in uentriculo permiscentur, & sicut exhibentur uentrem lenientia per parum temporis ante cibũ; sicutique

ſicutique permiſcentur alia cum cibo, uel exhibētur poſt cibum, ut ſtercoraria dicta, quæ & ipſa in uentriculo permiſcentur; & cum cibo exterius, uel alimento in placentulis, uino, garo, cum citonijs, melle, roſis & melle, uel ſaccaro, & alijs modis. Pharmacum cum cibo permiſcere diuerſa natura corporum, & pharmacorum conſiderata quandoque optimum, & quandoque malum; lenientia enim uocata parum ante cibum exhibita eodem tempore cum cibo actuantur: minuſque ægrum turbantes, et uentriculum lædentes, & ita ſtercoraria, quæ nihil impediuntur in operationibus ſuis, optimè permiſcentur cum cibo; ſed ſicuti dicebam, de his ſermo non eſt. Magna autem medicamenta aſſumpta quandoque faucibus, æſophago, & uentriculo adhærere ſolent, ex quibus praua ſubſequuntur ſimptomata; meritò itaque ea cibaria, quæ abſtergunt, & quæ uim ualde medicamentoſam obtundunt, exhibet Hippocrates ptiſanam: nempe ut uerò inſuauitatem pharmacorum remoueamus, & occultemus, & cum placentulis, & cum ſaccaro, & roſis, & cum lacte, uel lactis ſero permiſcemus, & infinitis alijs modis: hæc enim aſſumpta neque uentriculum inſuauitate ſua ſubuertunt, aut commouent, neq; reſpuuntur, ſed melius actuantur; & quoniam hæc maxima ſunt iuuamenta, ideo dixit optimum eſſe permiſcere medicamentum cū cibo; ubi uerò his non indigemus, ex permiſtione pharmaci cum alimento & crudum, & corruptum deſcendit alimentum a pharmaco, & ab excrementis attractis inquinatum: & uis medicamenti obtunditur, unde non purgantur, qualia purgari deberent, ſed corrupta cibaria ſecum trahit; & quoniam hæc non ſunt maxima nocumenta, niſi quis huberiore cæua aſſumpta medicamentum exhibeat poſtea, ob id pharmacum cum alimento permiſcere malum tantùm dixit, non peſſimum.

Malum

XX.

Malum & optimum ad aliquid.

SOlvit contradictionem propoſitam: quoniam malum, & optimum in relatione dicuntur ad diuerſas naturas corporum, ad diuerſos morbos, & nihil uidetur adeò malum, ut quandoque aliquibus in aliqua quantitate, & aliquo modo exhibitum bonum non ſit, & nihil adeò bonum, quod oppoſito modo exhibitum malum non ſit; omnia enim a medico conſiderata ad hominem primùm, mox ad tales homines, ultimò & Socratem, & Platonem referuntur; & non tantùm bonum, & malum ad aliquid dicuntur, ſed bonum, & melius, & optimum; & ita malum, peius, peſſimum.

XXI.

Vlcus, cruſta, pus, ichor, lepra, furfur, capitis manantia ulcera, uitiligo, ephelis quandoq; quidem nocent, quandoque autem iuuant, quandoque neque nocent, neque iuuant.

NOn contentus Hippocrates exemplis his, cũ per decubitum humores natura euacuat, hic interpoſita ſententia de pharmacia iam expoſita, addit & hæc exempla: & inquit, ulcus; eſt autem ulcus ſolutio continui in parte carnoſa ex eroſione prouenienſ; cruſta eſt combuſtum quid, quod & in intrinſecis, & extrinſecis & a cauſa externa, & interna comburente contingere po-

 teſt;

test; Pus est humiditas neque ex toto naturalis, neque ex toto præter naturam ex humiditatibus nostri corporis genita tum quidem a naturali calore, tum a calore præter naturam; Ichor, qui sanies à uiris eruditis interpretari solet, est aquositas, quæ cum sanguine, & cæteris humoribus nostri corporis, & uniuersaliter cum omnibus succis permiscetur: hæc uerò apparent in abscessibus, & inflammationibus iam suppuratis; lepra ab elephantiasi longè differt (est enim asperitas cutis cum pruritu, & dolore, a qua excidunt squammæ. furfur est casus furfurosi corporis, qui & prorigo uocatur ex acribus ichoribus ad cutim transmissis prouehiens. Cutis capitis exulceratur, & secundum diuersas formas diuersa sortitur nomina: omnia autem communi appellatione manantia ulcera uocatur; Impetigo est serpens cutis asperitas cum pruritu: serpit autem orbiculariter, prouenitq; ex acribus ichoribus cum crassis humoribus permixtis: & duorum ponitur generum, quædam fera, quædam domestica. Vitiligo est mutatio extimæ, & terminatæ partis corporis ad colorē nigrum, aut album ex apposito unito, & non assimilato nutrimento, aut ratione alimenti, aut intemperaturæ partis. Ephelis, quam uocem græcam reliqui, sunt maculæ illæ, quæ a sole in facie fieri solent. Euacuationes autem omnes, non solùm quæ enumeratæ sunt, uel criticæ fiunt propellente natura materiam, cui dominatur, ab internis ad externa, ut in propositis exemplis: & tunc sequitur conferentia, & leuis tolerantia: uel fiunt euacuationes simptomaticæ, & natura a materia molestata multitudine, aut mala qualitate: & tunc in ijs euacuationibus neque subsequitur conferentia, neque leuis tolerantia: uel natura partim potest regere materiam, partim non potest: & tunc euacuationes medio modo se habent; & ita euacuationes iam dictæ quandoque iuuant, quandoque nocent:

nocent: quandoque neque iuuant,neque nocent. Neq; uera eſt ſententia quorundam, qui dicunt euacuationem ad cutim ſemper bonam eſſe, adducentes ſententiam illam, Ereſipelas ab interioribus ad exteriora conuerti bonum, & aliqua exempla ex primo Epidemiarum: quibus nixi in febribus his peſtilentibus, quæ per tot annos iam moleſtant Italiam, ubi apparent maculæ tanquam morſuræ pulicum, uel & maiores ſiue ſimptomaticè, ſiue quomodocunque, ſemper applicant cucurbitulas ui attrahentes materiam ad cutim, & adiuuantes ſimptomaticas euacuationes; quinimo & non apparentibus maculis nunquam ſecant uenam, ne retrahant a cute, & applicant cucurbitulas ui attrahentes ad exteriora. Conſiderent iſti euacuationes iam dictas quandoque iuuare, quandoque nocere: & quandoque neque iuuare, neque nocere. Bonum eſt quidem ereſipelas ab interioribus ad exteriora cõuerti, ſed conuerti eſt relictis internis externas partes obſidere; neque exempla adducta ex primo Epidemiarum aliquid faciunt, quoniam ſumus in caſu, in quo neque iuuant, neque nocent in euacuationibus in criſi imperfecta.

XXII.

Alimentum non alimentum: ſi alere non poteſt nomine alimentum, re autem non: opus alimentum, nomen autem non.

IAM uidetur Hippocrates de ſuccis, qui primo ex alimento proueniunt, ſermonem abſoluiſſe: & proſequitur de cæteris commodis, & incommodis, quæ ex alimẽto proueniunt. Primò autem doctrinæ clarioris gratia in præſenti parte diſtinguit alimentum in uerè alimentum,

 &æqui-

& æquiuocè alimentum: æquiuoca enim dicuntur, quibus ſolum nomen commune eſt: & ita quæ alimenta appellantur, & alere non poſſunt, nomine tantùm ſunt alimenta; & quoniam alimentum eſt res, eſt opus: ideo hæc nomine tantùm ſunt alimenta: non enim alimentum nomen eſt. Eſt autem & opus alimentum, & res illa, quæ poteſt in ſubſtantiam nutriti conuerti: quod uerò non poteſt in ſubſtantiam nutriti conuerti, nomine tantùm, & æquiuocè eſt alimentum. Quòd uerò non alat; quod ad alendum ſumitur, eſt uel ratione ſubſtantiæ, uel quantitatis, uel qualitatis, uel ordinis, uel temporis, uel externorum. & quoniam dictum eſt, opus eſſe alimentum, non eo modo intelligendum eſt opus, ſicuti ſummus Medicus, quod iam factum, & completum per actionem eſt, ueluti caro, & neruus, ſed uel quod iam nutrit, uel quod eſt quaſi alimentum, uel quod futurum alimentum. Caro enim, & neruus alimenta non ſunt, ſed partes noſtri corporis.

XXIII.

In pilos alimentum, & in ungues, & in extimam ſuperficiem intrinſecus aduenit: extrinſecus nutrimentum ex extima ſuperficie ad intima aduenit: confluxio una, conſpiratio una, conſentientia omnia.

PROSEQVITVR Hippocrates agere de commodis, & incommodis ex alimento prouenientibus; & quoniam duplex eſt alimentum, alterum quidem membrorum ſolidorum, alterum uerò ſpiritus, quomodo hæc in uniuerſum corpus perueniant, & deducantur, declarat

in præſenti particula, & inquit, primò craſſum alimentum peruenire in pilos intrinſecus, & in ungues, & in extimam ſuperficiem, enumeratq; has partes tanquam longinquiſſimas ab internis partibus, a quibus prouenit alimẽtum. & ex extrinſecis partibus, ex extima ſuperficie ad intima aduenit: hoc autem alimentum eſt aer, qui per tranſpirationem per arterias defertur per uniuerſum corpus; quomodo uerò hæc fiant, declarat ipſe, & inquit, confluxio una; confluxile eſt uniuerſum corpus abundante nempe ipſo uenis ad minimas quaſque particulas, per quas confluit ſanguis; confluxio enim propriè eſt contentorum. conſpiratio una abundantibus arterijs eodem modo deductis per uniuerſum corpus, confluentibus ſpiritibus eodem modo per eas uias in uniuerſum corpus: Conſentientia omnia; & ſi conſenſus propriè ſit continentium, attamen conſenſus eſt & omnium iſtorum inter ſe ſpirituum, humorum, & membrorum ſolidorum: quæ & in naturalibus affectibus, & in præternaturalibus ſemper ad inuicem conſentiunt & ratione contactus, & ratione oſculorum communium ex uaſis ad uaſa, & ex uaſis ad ſolida membra. Quòd uerò inquit in pilos alimentum, & in ungues, dubium eſt, cum horum nullum ſit regimen, ſed generatio tantùm; An ad primam partem unguium perueniunt uenæ, ut nutriantur, ſicut arteriæ, & nerui, ut uiuant, & ſentiant; ſecundæ aut partis dicitur generatio tantùm, ubi carnem non contangunt? & pili impropriè nutriri dicuntur, & conſueuit Hippocrates uocibus impropriè uti.

XXIIII.

Iuxta quidem omnium membrorum compaginem omnia, iuxta partem uerò partes uniuſcuiuſq;

uniuſcuiuſque partis ad opus.

DECLARAT Hippocrates in præſenti particula, quomodo conſentientia omnia: & inquit, ad compaginem omnium membrorum, hoc eſt ad totius conſtitutionem, quæ nihil aliud eſt profectò, quàm aggregatum omnium membrorum, omnia concurrere: ad conſtitutionem autem partis particulæ cuiuſcunque partis: & addit ad ſecundam iſtam particulam, ad opus, quod non dixit in prima particula: neque hic addit partis compaginem, quod dixerat in prima, quaſi uelit, & ad conſtitutionem,& ad operationem totius concurrere omnia membra, & ad conſtitutionem, & operationē partis concurrere omnes particulas partis, ut primæ parti textus addiderit, compaginem, ſecundæ uerò illud, ad opus. operationes totius ſunt publica, & priuata munia: ad conſtitutionem totius concurrunt partes,quæ organa dicuntur, ut omnia hæc ſint neceſſaria, ut homo publicis, & priuatis fungatur munijs; ad conſtitutionem oculi uerbi gratia, concurrunt humores criſtallinus,quod eſt principale inſtrumentum uiſionis,& duo alij,qui & uſum præbent uiſioni, ſicuti & tunicæ,& pupilla,ita, ut omnes oculi particulæ conſentiant ſicuti in conſtitutione; ita in operatione; & hinc totius armonia, & omnia ad unum, & in unum referuntur.

XXV.

Principium magnum ad ultimam partem peruenit, ex ultima parte ad principium magnum pernenit; una natura eſſe, & non eſſe.

Locutus

LOCVTVS est in superiore textu de alimento spiritus, in præsenti uerò proponit duas sententias, unam quidem de alimento spiritus, & spiritu, alteram uerò de spiritu ipso: in prima parte ait, magnum principium, hoc est calorem innatum, qui nihil est aliud, quàm spiritus, peruenire usque ad ultimam partem corporis per arterias, & unum totius confluxum, & ex ultima parte corporis uice uersa per easdem uias peruenire ad magnū principium aerem attractum; magnum uerò principium est circa cor, & uicinas partes tanquam in foco. Subiungit postea sententiam de hoc spiritu admiratus fere eius naturam, nempe esse ab hac natura esse, & non esse ipsis hominibus, per sui præsentiam esse, per absentiam non esse. Meritò itaque magnum principium uocatur; & fortasse magnum hoc principium uoluit animam esse; sed de hac re non est præsens disputatio: scio summum medicū hoc de ipso quandoq; sentire, & alios plurimos.

XXVI.

Morborum differentiæ in nutrimento, in spiritu, in caliditate, in sanguine, in pituita, in bile, in succis, in carne, in pinguedine, in uena, arteria, in neruo, in musculo, membrana, osse, cerebro, spinali medulla, ore, lingua, gula, uentriculo, intestinis, septo transuerso, peritoneo, hepate, liene, renibus, uesica, utero, cute: hæc omnia & singillatim, & particulatim.

Quoniam

QVONIAM ex alimento contingunt morbi, qui uarij sunt, ideo de hoc incommodo, quod ex alimento prouenit, diuersos morbos enumerando, de differentijs morborum agit nulla sibi methodo proposita, sed enumerat tantùm; & uidetur enumerare has differentias a partibus nostri corporis, & ab ijs, quæ in nobis sunt. Morborum itaque differentiæ, inquit, in nutrimento; ad intelligendam hanc particulam reuocanda est ad memoriam sententia summi philosophi, ipsum nempe, esse in, multis modis dici: & uno modo tanquam in causa efficiente; & ita dicendum, morborum differentias esse in nutrimento, tanquam in causa efficiente: nutrimentum enim est causa efficiens morborum; In spiritu, tanquam in parte uiuentis, & secundum aliquos animata; in caliditate, hoc est in intemperie; in sanguine, in bile, in pituita, in succis, uel tanquam in efficiente, uel quod & intelligi poterit de alimento in his, cum iam nutriunt, tanquam ferè partes nostri corporis. succi uerò distincti ab humoribus si non sunt uel ichores, uel secundæ illæ humiditates, difficile est admodum diuinare, quid uoluerit. In carne, in pinguedine sunt intemperies. in uena, arteria, & neruo est intemperies, quatenus participant similaribus partibus; quatenus uerò organa primi ordinis, & obstructiones & in neruis exceptis uisorijs, incrassationes; in musculo, etiam quòd sit organum primi ordinis, attamen non apparent nisi intemperies, & solutiones continui, quæ sunt communes & organicis, & similaribus: & si quidam scioli peruersores bonorum seminum aliter sentiãt ducti leuissima ratione, quòd solutio continui non lædat nisi operationes organicorum: in qua re uerum non dicunt, cum semper soluta continuitate in similaribus naturales operationes lædantur, ut apparet ex excrementis. In membrana similari parte intemperies, & solutio continui;

tinui; eodem modo in osse; in cerebro uero membro organico, spinali medulla usque ad dimidium præcipue, ore, lingua, gula, uentriculo, intestinis accidunt morbi in intemperie, quatenus participant partibus similaribus: & in compositione, qui sunt proprij organicorum, & morbus communis solutio continui. Septo transuerso, etiam quòd musculus sit, tamen non accidunt nisi intemperies, & solutio continui. Peritoneo uerò similari accidit morbus cõmunis, & proprius similaribus. Epati, lieni, renibus, uesicæ, utero tria genera morborum accidunt, sicuti de reliquis dictum est. cuti uerò morbi similarium, & solutio continui, cum membrum sit similare. hæc omnia postea inquit, & singillatim, id est secũdum singulum eorum, & particulatim quosdam patiuntur morbos, ueluti uesica lapides, uterus molam: secundum enim particularia membra contingunt particulares quidam morbi.

XXVII.

Magnitudo ipsorum magna, & non magna.

MAGNITVDO in intemperie pro intensione impropriè dicitur, cum nomen quanti quali accommodemus. Sensus uerò huius dictionis clarus uidetur; difficultas autem est, unde capiatur morbi magnitudo, cum uideatur summus medicus ijs, qui ignari sunt, non constare; dicamus autem morbi magnitudinem uel in se considerari, uel respectu uirium: respectu uirium morbus dicitur magnus, qui uires superat, maior, qui magis, maximus, qui maximè: & paruus è contrario; in se uerò morbus dicitur magnus tripliciter, uel quoniam in essentia sua magnus est, ueluti magna febris, magnum uulnus:

uel quoniam eſt in parte momentanea, & principali, uel quoniam eſt mali moris, quod alibi uocauit ſummus medicus ex læſionis actionum præſtantia: morbi enim mali moris lædunt præſtantiam actionum; ex quibus declaratis facilè pro diuerſitate magnitudinis morbi, & diuerſimodè interpretari poteſt locus hic.

XXVIII.

Signa titillatio, dolor, ruptio, mens, ſudor, urinarum ſubſidentia, quies, iactatio, uiſa, imaginationes, morbus arquatus, ſingultus, comitialis morbus, ſanguis ſyncerus, ſomnus, & ex his, & ex alijs ſecundum naturam; et quæcunque alia huiuſmodi et in detrimentum, & in iuuamentum procedunt.

AGIT Hippocrates in præſenti particula de ſignis magnitudinis, & paruitatis morborum, de ſignis affectus, & loci affecti, & differētiarum affectus, inſuperq; & moris, enumerans tantùm aliqua, ex quibus alia conſimilia inelligenda relinquit: ſed ut primus inuentor neq; omnibus ordinem, neque ueram methodum aperire potuit maximeq; in hoc libello, quem ſibi commentarium pararat. Ex ijs uerò, quæ ſummus medicus docuit, uiam ponam, qua & affectum, & locum affectum, & differentiam affectus, & magnitudinem unuſquiſque cognoſcere facile poterit. Morbi, qui in exterioribus partibus, tactu, uiſuq; facile dignoſcuntur: ſed qui in internis, ex læſis actionibus, & præcipuè ex dolore, ex quantitate,

tate, qualitate, & loco; ex exeũtibus, quæ per locum exitus per ſubſtantiam, & quantitatem ſignificant: & per affectiones immutatas, uiſiles, tactiles. Confirmatur autẽ hæc coniecturalis cognitio, licet Hippocrates uſus ſit uoce ſigni demõſtratiui per cauſas præcedentes. Ad hæc itaque & uſus, & operatio partium cognoſcenda, & ſubſtantia, & ſitus, & conſenſus; Affectus autem, & eorum differentiæ ex differentijs læſæ actionis, doloris, exeuntium, & immutatarum affectionum: magnitudo ex eſſentiæ affectus magnitudine, & ſimptomatibus: mores & ex affectuum differentia, & ex ſimptomatibus. his ita ſuppoſitis ſingulas dictiones declaremus. Commotio, irritatio leuis, uel titillatio per locum, in quo reperitur, ſignum eſt loci affecti, & affectus: prouenit enim a materia uaporoſa leuiter commouente. De dolore & dictum eſt, & dicetur in ſubſequenti particula. Ruptio, uel de ſolutione continui in parte carnoſa dicta ſit extenſione facta, uel ruptio dicatur eruptio, uel de tumoribus, qui exeunt per cutim, & extimam ſuperficiem, affectum indicant per dolores, & laſſitudines; & tumores manifeſtè ſe oſtendunt, & morbum, & morbi differentiam, & magnitudinem, & mores. Per mentem uerò intelligit læſionem principum facultatum, eſt ſignum affectus, loci affecti, differentiarum, magnitudinis, & moris, ut mente conſtare, uel non mente conſtare. Ex ſudore exeunte immutato cognoſcitur locus affectus, ubi enim ſudor, ibi morbus; & magnitudo affectus, & cætera omnia, ut ipſemet in prognoſticis declarauit. & eodem modo ex ſubſidẽtia lotij, quæ in morbis cum materia, certiſſimum eſt ſignum ſalutis, & mortis. Quies immodica, & præter naturam læſa hæc actio magnitudinem, & morem ſignificat, ut blandæ deſipientiæ, quæ ualde phreniticæ ſunt. eodem modo & iactatio, quæ a materia maximè

molestante prouenit: sicuti quies a materia in habitu, in parte. Visa uerò & locum affectum, & affectum, & differentias ostendere possunt, & morem, & magnitudinem: & hæ sunt læsæ actiones, ut uidere muscas uolantes, cum non sint: aut omnia rubri, uel flaui coloris. & imaginationes, corruptæ operationes uirtutis imaginatiuæ, & locum affectum cerebrum, & affectum intemperiem, & differentiam affectus calidam intemperiem, & febris magnitudinem, & morem indicant: nam in malis, & magnis febribus hæc accidere consueuerunt. Arquatus morbus, quæ qualitas est immutata eorum, quæ ad uisiles spectat qualitates, & locum affectum, & affectum, & differẽtias, & cætera. Singultus actio læsa, deprauatus motus, locum affectum ostendit os uentriculi, affectum uel inanitionem, uel repletionem, uel mordicationem oris uentriculi; & quandoque magnitudinem, & morẽ significat sicut in febribus malignis, in quibus quandoque frequentissimus, & maximus accidit singultus, qui & ueluti signum, & tanquam causa deterrimus est. Morbus comitialis, & uniuersaliter morbi cum signa sunt, per simptomata nobis notiora significant: & si comitialis morbus simptoma fit, prout notificatur a summo medico, est enim conuulsio totius corporis cum detentione principum facultatum: & ita morbus hic locum affectum, affectum, & differentias, & reliqua denotare potest. Sanguis syncerus locum affectum uenam, uel arteriam. Somnus locum affectum caput, affectum intemperiem frigidam, uel humidam monstrat, & morem, & magnitudinem, & cæteris inseruire potest, sicut & cætera omnia enumerata. & quoniam non omnia enumerauerat, concludens inquit ex his capi signa, & ex alijs secũdum naturam affectuum naturalium, & ex alijs huiusmodi, & in detrimentum, & iuuamentum, prout naturalia, uel præternaturalia sunt.

Labores

XXIX.

Labores totius, & partis, & magnitudinis signa, alterius quidem ad maius, alterius uerò ad minus, & ex utrisque ad maius, & ex utrisque ad minus.

QVONIAM magnitudinis signa & ex affectus essentiæ magnitudine, & ex simptomatibus capiuntur, inter simptomata uerò unum est præcipuum, dolores, labores, uel lassitudines, quæ & si eadem uoce significentur, attamen inter se differre uidentur per magis, & minus, ut labor sit leuissimus quidam tristis sensus, lassitudo maior, dolor uerò maior etiam: ex dolore itaque, inquit, capi signa magnitudinis morbi, qui dolor potest esse totius & partis; & idem interpretandum de lassitudine, & de labore alterius quidem ad maius, ut cum sunt dolores totius, maius significant. alterius uerò ad minus, cum sunt partis. & ex utrisque ad maius, & ex utrisque ad minus, prout sunt intensiores, & remissiores. ex dolore uerò capiuntur signa magnitudinis, a loco, sicuti & ipse alibi docuit, dolores qui sunt in lateribus, uel in alijs partibus perdiscendi. a differentijs doloris, acutus enim acriorem materiam indicat, & ab intensione, & remissione doloris.

XXX.

Dulce, non dulce: dulce ad potentiam, sicuti aqua: dulce ad gustum, ut mel; signa utrorumque ulcera oculi, & gustus, et in his

magis

magis, & minus: dulce ad uisum, & in coloribus, & in alijs mixtionibus dulce magis, et minus.

QVONIAM ex omnium philosophorum, & medicorum sententia non nutrimur nisi dulci, ob id de alimento agens in præsenti parte instituit doctrinam de dulci declarans multipliciter dici, quæ signa distinctiua diuersorum dulcium, quæ signa uerè dulcis, & in his dari magis, uel minus. Primò inquit dari unum dulce, quod non est dulce: & declarat, quod nam sit istud, & subdit esse id, quod ad potentiam dulce est, sicut aqua: quæ syncera in natura sua insipida existens facile dulcedinem susci pit, uel permista cum cæteris bonis cibarijs uehiculum existens & ipsa alimenti per partem permistam generat humores dulces. ait postea esse dulce ad gustum, quod actu dulce est, non potentia, ut mel, quod nulla indiget mutatione, nulla permistione, ut dulce efficiatur. Signa utrorumq;, quæ distinguunt dulce ad potentiam, & dulce actu, sunt primò ulcera: ulceribus enim dulce actu mordax per nimiam abstersionem soluendo continuum; dulce uerò ad potentiam, sicuti aqua, abluens nullam fecit mordicationem, nullum dolorem, si priuata sit insignibus qualitatibus. Gustus etiam est uerus iudex distinguens inter illud, quod potentia dulce, & insipidum est, & uerè dulce, & est uerus iudex huius qualitatis. Oculi autem, & uisus, licet ex dictis signis duobus unum sufficere posset pro omnibus nempe gustus, nihilominus & ipsi & ex colore flauo uerbi gratia cognoscunt dulcedinem, & ex albo liuida albedine prædito, primùm quidem in melle, secundò uerò in lacte: & in his magis, & minus.

& quoniam

& quoniam difficillimum uidetur cognoſcere dulce uiſu, ideo repetit dulce ad uiſum, & in coloribus, & in alijs miſtionibus ex ſubſtantia nempe, quæ per quædam accidentia cognoſcitur inſpiciendo alia, & alia miſta. concludit poſtea dulce magis, & minus; non eſt itaque difficile eruere ſententiam Hippocratis in præſenti contextu. ſed plurima emergunt dubia, atque ea quidem difficilia: quorum unum tangam. uidetur enim aqua nullo pacto dulcis eſſe poteſtate, quoniam quæ poteſtate talia ſunt, uel materiali, uel actiua poteſtate eſſe dicuntur: ſed aqua poteſtate materiali non eſt dulcis; diutius enim morata in Hippocondrijs in bilem uertitur, ut magis poteſtate hac materiali dicatur amara, quàm dulcis: neque poteſtate actiua, ut facile uel permiſtione, uel alteratione ita efficiatur, quoniam hoc modo non magis dulcis, quàm amara cenſenda eſt. An poteſtate paſſiua talis eſt, cum alijs permiſcetur; ſapor enim dulcis in temperata, & moderatè calida ſuſcipitur materia, & aqua contemperat, & terreſtrem materiam emollit, ut fuſa à calore, & concocta poſſit talis ſapor prouenire; apparet hoc exemplo in quibuſdam uinis in aliquibus regionibus, ſicuti in hoc agro Patauino, quæ terreſtria cum ſint, nunquam dulcia fieri poſſunt, ſi ſiccitates præcedant, & nõ permiſceatur aqua, uel largi imbres deſcendant: & hoc forſan modo quandoque dixit Hippocrates pluuiatiles aquas dulciſſimas eſſe.

XXXI.

Raritas corporis ad tranſpirationem, quibus plus aufertur, ſalubrius: denſitas corporis ad tranſpirationem, quibus minus aufertur,

tur, insalubrius: qui probè perspirant, imbecilliores, & saniores, & facilè conualescunt: qui malè perspirant, antequam ægrotent, robustiores, ægrotantes autem difficulter conualescunt: hæc autem & toti, & parti.

DOCENS Hippocrates commoda, & incommoda, quæ ex alimento proueniunt, agit de corporibus salubribus, & insalubribus non simpliciter, sed respectu excrementorum alimenti; & ut clarè intelligantur, quæ in hac particula docet, uideamus, quid rarum, & densum, quid salubre, & insalubre. Rarum est, cuius partes ad se inuicem distant. Densum, cuius partes se contangunt: & in his magis est, & minus: ut aliqua sint, quæ tametsi rara densa esse uideantur, ueluti cutis nostri corporis: quapropter in respectu quandoque densa dicuntur, quoniam nullum corpus, & nulla pars nostri corporis uerè densa est, sed ita dicitur in respectu: cum uniuersum corpus sit transpirabile, & conspirabile, uerè densum esse non potest. salubre uerò corpus est, quod habet naturalem potentiam ad sanitatem; insalubre, quod impotentiam. corpora itaque rara, quibus plus euacuatur per halitum, uel sensibiliter etiam per sudores, & per ea, quæ cuti adhærent, salubriora; (Salubre enim corpus est, quod non scatet excrementis;) & ideo quanto rariora, tanto salubriora. In densitate uerò corporis oppositum est: nã quæ densitatem corporis habent, quo densiora, eo insalubriora; minus enim in ijs aufertur siue sensibiliter, siue insensibiliter. habent uerò, qui probè perspirant, ut imbecilliores sunt difflato calido innato, & saniores, & facilè

cilè conualescant, cum non tanta scateant materia. Qui uerò densioris habitus sunt, & malè perspirant, robustiores sunt, & insalubriores, & cum ægrotant, non facilè conualescunt. Hæc autem sunt communia uniuerso corpori, si rarum, & densum sit, & determinatæ partis parti, cum eadem sit ratio & partis, & totius. Comparat autem rariora minus raris, & densiora ijs, quæ minus densa sunt, quoniam de raro, & denso clara est sententia; & hoc est, quod ait Hippocrates, cutis raritas, uentris densitas difflato corpore, & euacuato: cutis colligatio: in his parum transpirat, nihil euacuatur, & ita subsequitur carnium incrementum; atque sic isti sunt robustiores. Intelligitur autem locus Hippocratis de salubritate ex alimentorum excrementis, non de ea, quæ ab externis prouenit causis, quoniam totum oppositum in his contingit; neque uerũ est, quòd temperatum corpus magis resistat omnibus causis separatim sumptis, quàm distemperatum, & commoderatum, quàm incommoderatum, sed simul capiendo omnes causas pluribus resistit, & elegibilius est.

XXXII.

Pulmo contrarium corpori alimentum trahit, alia uerò omnia idem.

CVM & commoda, & incommoda scribat Hippocrates, quæ alimentum præstat, & quoddam sit alimentum, quod spiritus nostri corporis alat, quoddam uerò, quod solidas nutriat partes, nõ ab re de hoc alimento spiritus agit proponens primò, quomodo se habeat ad ipsum corpus, atque quomodo a pulmonibus attrahatur, & inquit, pulmonem attrahere alimentum aerem nẽ-

pe, qui est alimentum spiritus, quod est corpori contrarium; quamuis enim in pulmonibus alteratus, & a corde attractus permistus cum elaborato sanguine sit materia generationis spirituum, cum tamen elementalis sit, rationeq; uel luminis stellarũ per ipsum diffusi, uel quacunque alia ratione semper corpora nostra desiccat, uique contrarium est corpori, contrariumq; est pulmonibus. Dupliciter autem attrahunt pulmones, & diuersa attrahunt, ratione quidem similitudinis a uenis biliosum sanguinem pro sui nutritione, & hoc ratione similitudinis in tota substantia, & per uirtutem naturalem ei insitam; attrahunt uerò aerem uacui necessitate, quoniam dilatato thorace dilatantur pulmones, & ita succedit necessario aer; & cum primo modo attrahunt, non contrarium, sed simile trahere dicuntur: cum uerò secundo modo, contrarium attrahunt, ut dictum est. Aliæ uerò partes omnes attrahunt ratione similitudinis in tota substantia, atque ita trahunt simile, quod in aliquo idem est cum attrahentibus; & ita dictum est ab Hippocrate alias omnes partes idem attrahere. At hæsitare possit quis, cum ex aere spiritus nutriantur, cumque aer sit ad refrigerandum calorem innatum, quomodo contrarium corpori dicatur; & cum alimentum in principio contrarium sit, quomodo solus pulmo alimentum contrarium trahat; alimentum uerò contrarium esse a principio inde patet, quòd natura agat in alimentum, actio autem est inter contraria; dubium etiam uidetur, quomodo idem attrahatur, quum ferrum non attrahat ferrum, neque magnes magnetem, sed magnes ferrum; neque uera uidetur particula ultima huius partis, quòd alia omnia idem attrahant, cum arteriæ attrahãt eodem modo quo & pulmones, & idẽ, quod & pulmones, secundum quam rationem ponuntur principium nutrimenti spiritus in sequenti particula ab ipsomet

met

met Hippocrate? quibus ita mihi satisfaciendum uideretur, quod pulmo contrarium corpori alimentum trahat, quoniam aer maximè alterat corpora nostra & per exsiccationem, & quoniam aptus non est corpus nutrire, licet spiritus sit materia. Ad id, quod additur, dicendum, cætera membra omnia attrahere alimentum simile in tota substantia, dissimile autem in aliqua qualitate: Pulmo uerò attrahens aerem attrahit dissimile in tota substantia, quoniam non est aptus uel pulmones, uel alias partes nutrire, sed in aliquo est simile, & est, quod materia est spiritibus generandis; quomodo uerò membra idem attrahant, iam declaratum est; uel dicendum, omnia membra attrahere idem, sicuti dicimus, omnes homines ex aliquo exercitu uerbi gratia comedere eundem panem, atque idem bibere uinum non numero quidem, sed specie, & ita cætera membra similia attrahunt in tota substantia. Arteriæ uerò proculdubio & ipsæ aerẽ attrahunt, ne detur uacuum, & proprium alimentum ratione similitudinis, ut idem, & eodem modo attrahant, sicuti & pulmo. unde addendum sententiæ Hippocratis, alia omnia exceptis arterijs: uel pulmonem contrarium alimentum attrahere, & alia, quæ eodem modo attrahunt, sicuti pulmo. sed hęc sententia maximè difficilis, & dubia esse uidetur.

XXXIII.

Principium alimenti spiritus, nares, os, guttur, pulmo, & alia transpiratio. Principium alimenti & humidi, & sicci os, gula, uentriculus, antiquius autem alimentum per abdomen umbilicus.

DECLARAT in hac particula, per quas partes deferatur alimentum ſpiritus, & alimentum ſolidarum, & humidarum partium: diuerſæ enim ſunt hæ uiæ; & primo inquit principium alimenti eſſe nares. ita uerò principium ſunt nares, ut ſint uia, per quam attrahitur aer in ipſum cerebrum, ex quo inibi elaborato, & ſpiritibus uitalibus, & tenuiſſimo ſanguini permiſto generantur animales ſpiritus; ſpiritus enim, quamuis nutriri dicantur, ab Hippocrate, & a medicis, non proprie nutriuntur, ſed regenerantur. neque poteſt aer ingredi pulmones niſi per os: & ita os uia eſt nutrimenti ſpiritus; ab ore autem per guttur tranſit, & in pulmonibus ſuſcipitur, & attrahitur, & (ut dictum eſt) ibi elaboratus ingreditur ſiniſtrum uentriculum cordis; & permiſto cum tenuiore ſanguinis parte inibi elaborati fiunt ſpiritus uitales. eodem modo per tranſpirationem dilatatis arterijs attrahitur aer, qui & ipſe alteratur in arterijs, & permiſcetur cum ſpiritibus, & inchoātur ſpiritus uitales in arterijs, ſicuti inchoatur & ſanguis in uenis meſaraicis: & tandem delata hac materia pro aliqua ſui parte regenerātur ſpiritus uitales. Principium uerò, & uia alimenti humidi, & ſicci eſt os; per os in gulam; per hanc in uentriculum; quæ uerò exterius apponuntur, nunquam nutrire poterunt; at quæ per ſedem infunduntur, leui aliqua nutritione alere quidem poſſunt, ſed completa nutritione nequaquam. Antequā autem per has uias alerentur uel ſpiritus, uel ſolida, conceptu in utero exiſtente & ſpiritus, & ſolida, & humida per umbilicum nutriebantur. conſtituunt enim umbilicum quatuor uaſa, una uena ex uteri uenis producta inſerta in rimam propriam Iecoris. duæ arteriæ ſimiliter ex uteri arterijs productæ, & deductæ per breuiſſimam uiā ad arterias, quæ crura petunt: per has haurit & fætus ſpiritum, & ſanguinem; quartum uas uracus eſt producto a

fundo

fundo uesicæ, per quod euacuatur lotium, & reponitur inter corium secundinam dictam, & allantoidem farciminalem usque ad partum. excrementa uerò alui non emittit, quoniam nulla fit in uentriculo elaboratio alimenti: & alimentum ab his excrementis mundatum defertur in corpus; ea uerò, quæ edito fætu statim egeruntur, non sunt excrementa eius, quod per os in utero sit assumptũ: nihil enim per oris uiam, dum in utero fætus est, capit, licet quidam antiquorum illud opinati fuerint, & interiectum sit inter dicta Hippocratis: sed est melancholia, quæ expurgatur etiam a sanguine suscepto per lienem, & in uentriculum transmittitur, & inde ad intestina: quæ cum paucæ sit quantitatis, usque ad tempus partus facilè reseruari potest. Cum uerò Hippocrates ponat uiam, per quam alimentum peruenit in spiritus, nares nempe, os, guttur, pulmonem per inspirationem, & arterias per transpirationem, & hac pertingat aer tantùm in cerebrum, & cor, & non in iecur, ponatq; uiam alimenti sicci, & humidi ad uentriculum, & Iecur, ideo puto sententiam fuisse Hippocratis non dari illos spiritus naturales, qui positi sunt ab aliquibus leuibus admodum innixis rationibus; in qua re summus medicus non ausus asserere inquit, si dantur, sedem habent in Iecore.

XXXIIII.

Radicatio uenarum iecur, radicatio arteriarum cor: ex his aberrant sanguis, & spiritus in omnia, & caliditas per hac permeat.

Prosequitur

PROSEQVITVR Hippocrates declarando, quomodo spiritus,& alimentum solidarum partium deferatur per uniuersum corpus: &,ut hoc ostendat, supponit unum, quod est, & fuit ab omnibus medicis concessum, & a philosophis plurimis, uenas nempe radicari in Iecore,& ortum habere a Iecore,arterias uerò radicari in corde, & ortum habere a corde,atque ex iecore,& corde postea per uenas, & arterias sanguinem, & spiritus deferri per uniuersum corpus, qui sanguis & in arterijs continetur permistus cum spiritu: & per hæc uasa deuenit etiam caliditas in uniuersum corpus. Venas autem radicari in Iecore per metaphoram dictum est,& ita arterias in corde: sicuti enim quæ radicantur in terra, a terra attrahunt per radices, ita & per hæc in his uasis, suscepto spiritu, & sanguine postea attrahitur per uniuersum corpus. Non dixit autem hæc uasa oriri a uisceribus: uenæ enim a uenis,& arteriæ ab arterijs uteri primo oriuntur, & cæteræ ex ea parte seminis, quæ apta est ad harū generatione m: & illæ in Iecore, hæ uero in corde firmantur; & inde in uniuersum corpus; & hoc ratio ostendit, quoniam unum quodq; membrum sibi simile caro carnem, & uena uenā, & membrana membranam generat: cum enim os carnem non generet, neque membrana carnem, similiter ab his uisceribus uasa hæc generari non possunt. & idcirco cum de uasorum ortu loquuntur medici dicentes uenas a Iecore, arterias a corde oriri de ortu dispensationis loquuntur; & ut ipsi dicunt, per metaphoram ita dictum est. Aberrare autem non propriè dictum est in hoc loco: non enim aberrare dicuntur, quæ ordinatis,& determinatis uijs incedunt, quod faciunt sanguis, & spiritus: quapropter fortasse melius permeare dicerentur; at Hippocrates parum curat uoces, & sæpe his impropriè utitur. caliditas uerò sanguine, & spiritu mediante, quæ

corpora calida sunt, per totum defertur corpus, & per partem etiam post partem: sed per eas uias & uberius, & citius. Dubitauerit autem quis, cum antiqui & uasa pulsantia, & nō pulsantia nomine uenarum appellarint, quo modo hic Hippocrates alia ratione usus fuerit his uocibus, & uocauerit pulsantes arterias: & fortasse posset existimare hac ratione hanc sententiam non esse Hippocratis. Verum esse fateor uocasse antiquos uasa illa omnia uenas: sed Hippocrates distinguens inter hæc uocauit nō pulsantes uenas, & pulsantes arterias non hic tantùm, sed & alibi: unde assumitur hæc a summo medico pro sententia Hippocratis.

XXXV.

Vis una, & non una, quæ omnia hæc, & alia gubernat: hæc quidem ad uitam totius, & partis, hæc uerò ad sensum totius et partis.

QVONIAM non sufficiunt instrumenta ad nutritionem, sed requiritur & uirtus, idcirco docet hoc præsenti in parte Hippocrates: & inquit, una est anima, cuius cum sit ignorata essentia, uirtutis, aut facultatis nomine appellatur: & ita uis una quantum ad essentiam est una anima: non una uerò ob diuersas eius facultates: quæ facultates & instrumentis dictis, & operationibus præsunt, uitali nempe, & naturali; & generationi sanguinis, & spirituum; & hæc quidem faciunt ad uitam totius, & partis, & ita gubernant non tantùm hæc uiscera, & uasa, sed & uniuersum corpus. alia uerò sunt, quæ faciunt ad sensum totius, & partis, de quibus non est facta mentio, & est cerebrum,

rebrum,

rebrum, & nerui. Vt autem clarius hæc intelligi possint, sciendum uitam & per nutritionem, & per calidum innatum in nobis esse, & per hæc conseruari: est enim uita participatio, & permansio animæ nutritiuæ in calido naturali: nutrimentum a Iecore per uenas, innatum calidum a corde per arterias ad partes uniuersi corporis peruenit; & ita cor est principium uirtutis uitalis. Iecur dat nutrimentum; naturalis enim uirtus insita est omnibus membris, neque aliunde deuenit. Cerebrum uerò est sensus, & motus principium per uirtutem transmissam, quam animalem dicunt, ad instrumenta sensus, & motus. & ita ponuntur a medicis tria principalia membra; quod medicus & scire potest, & debet, ut sciat, quibus locis læsis his actionibus auxilia applicanda sint. Potest autem & ex ortu uasorum, & ex ostiolis ad uenam cauam, quæ per anatomen habentur, & quoniam uenarum duo ponerentur principia; & ex instrumentis sanguinem expurgantibus hoc cognosci. Neque cor est primum, quod oritur, sed Iecur, cum primùm uiuamus uita plantæ; neque ligatis arterijs iugularibus fit animal sine sensu, & motu: sed efficitur mutum simul ligatis reuersiuis neruis: sed ligato quidem neruo petit sensus, & motus illius partis, ad quam peruenit neruus; neque in corde conspiciuntur nerui, sed ligamenta, quæ præsunt membranis, quæ ad ostia uasorum sunt: & uix paruulus reperitur neruus in corde: & si cor generat spiritus, non omnes generat, sed uitales tantùm; animales uerò in cerebro generantur, & ita principium spiritus alimenti ponuntur nares. cum itaque non desint medico media, per quæ hæc scire potest, cumq; ad curationem hoc maximè faciat, mirum est non nullos esse, qui asserant, medicum ut medicum non habere uiam istud cognoscendi, neque impediri ex hoc in aliqua suarum operationum.

XXXVI.

Lac alimentum, quibus lac alimentum secundum naturam, alijs uerò non: alijs uerò quibusdam uinum alimentum, & quibusdam non alimentum: & carnes, & aliæ plurimæ alimenti species, & pro regione, et consuetudine alunt, hæc quidem ad augmentum, et ad esse, hæc uerò ad esse solùm, ut in senibus: hæc autem ad hæc, et ad robur.

TERMINATO sermone de alimento spiritus prosequitur ea, quæ ad commoda, atque incommoda spectant, quæ ab alimento proueniunt: & in hac particula rationem assignat, cur alijs alia nutriātur alimentis, quidque in diuersis ex alimento proueniat. Exorditur autem a familiarissimo, & primo alimento, quo utimur: quodque, temperatum cum sit, & simile nobis in substantia, benè alere potest: & inquit, lac alimentum esse; quibus secundum naturam alimentum est: non enim omni naturæ conuenit, sed alicui, ut ijs, qui temperatum habent uentriculum, quiq; a proprietate temperamenti a lacte non abhorrent; qui uerò intēperato sunt uentriculo uel ad calidum, uel ad frigidum, lac non est alimētum, sed illis quidem in nidorulentam uertitur qualitatē, & corrumpitur, in his uerò acescit; & sunt quidam, qui a proprietate temperamenti, quam indiuidualem uocant isti, a lacte abhorrent ita, ut gustare nequeant: illis quidem lac secundum naturam alimentum est, his uerò non. Alijs quibusdam

uinum alimentum, & quibusdam non: secundum propo nit exemplum Hippocrates in familiarissimo alimento, quod citissime, & optimè alere potest: & hoc pro natura quibusdam est alimentum, quibusdam non; non enim cō uenit calidissimis naturis, neque pueris: & quidam a pro prietate temperamenti respuunt uinum; & de carnibus idem dicendum, quæ & ipsæ optimè nutriunt, & de alijs alimenti speciebus: non enim omnes eadem utuntur alimenti specie: alij enim piscibus, aut edulijs ex mari uescuntur, alij oleribus uel hortensibus, alij pomis, alij leguminibus, alij nucibus, alij quadrupedum carnibus, & harum alij alijs, alij auium, & alij alijs, alij caseo, uel lacte: & bibunt alij uinum, alij aquam, alij aliud quid genus potus, & hoc pro regione, uel consuetudine: non.n. omnia ubique abundant, neque conueniunt: neque omnes ijsdem sunt assueti. & quoniam in ijs, quæ sunt eiusdem rationis, consueuit Hippocrates uno posito alia intelligenda relinquere; quocirca id, quod de regione dixit, & de cæli constitutione, & de tempore anni intelligendum: & quod de natura, deq; consuetudine, quæ acquisita ex frequenti usu est natura, dictum est, de ætate, de corporis habitu, deq; studijs, & sexu intelligi potest, & debet. ex consuetudine uerò, & frequenti usu ita alterantur corpora nostra, ut maximè reddantur familiaria in tota substantia, & similia illis, uel alijs alimentis, ut & aliqui uenenis sint nutriti. Alimenta uerò uel non alunt, uel diminutè, uel deprauatè pro diuersitate corporum, & eduliorum: de quibus Hippocrates ultimis nihil hic, sed de ijs tantùm, quæ non alunt, uel alunt. Quæ uero alunt, ut etiam in prima libri huius parte dictum est, quædam sunt ad augmentum, & esse sicut in adolescentibus, & pueris: quædā ad esse tantùm, ut in senibus: quædam uerò ad robur, ut in conualescentibus & athletis. Considerandum est au-

tem, qualia ſingulis conueniant naturis, regionibus, & conſuetudinibus: quod ab Hippocrate in hoc loco ſcriptum non eſt. dicamus itaque, temperatis naturis temperata conuenire alimenta, ut lac, carnes, oua, & uina temperata: intemperatis autem, cum conſeruare uolumus, ſimilia, cum reducere ad melius, & permutare, contraria, æqualia in gradu, uel in magno, & longo uſu. quædam uerò & præſeruari debent, quæ requirunt moderatum uſum contrariorum: & hæc ſunt, quæ non in paſſiuis qualitatibus (ſed in actiuis ualde ſunt diſtemperata) periculũ enim in his eſt ob maximam eorum actiuitatem, ne ex ſimilium uſu, cum certa adeo quantitas ſeruari nõ poſſit, in morbos dilabantur, quod in ijs, quæ minimam habent actiuitatem, formidandum non eſt: & idem de ætate, habitu, ſexuq; intelligendum, hocq; ſemper, niſi conſuetudo obſtet; in conſuetis uerò ſemper ſimilium ſit uſus: quam cõſuetudinem ſi mutare uoluerimus, haud confertim mutanda, neq; in ſenibus, atque ijs, qui negotijs ſunt impliciti. In regione temperata temperatis utendum; quod & de anni tempore, & cæli conſtitutione intelligi debet; in intemperatis uerò ſemper contrarijs utendum; & ita in frigidioribus calidiora & actu, & facultate cõueniunt alimenta: in calidioribus econtra. & cum tantoperè, perq; tot uias nos aleret aer, cum diſtemperatus eſt, nõ alimenta ſolùm, ſed & cætera omnia nobis neceſſario occurrentia illi opponimus.

XXXVII.

Diſpoſitio athletica non natura: habitus ſalubris melior in omnibus.

QVONIAM in ſuperioribus dixerat alimentum eſſe ad robur, rurſus docet hic, in quibus non ſit ad ro-

bur naturale, & in quibus ſit ad naturale robur: ſcribitq; in athletis diſpoſitionem non eſſe naturalem: & ex ijs, quæ ſubiungit, habetur ratio, ait enim, habitum ſalubrem meliorem eſſe in omnibus: ut uideatur uelle iſtos non habere habitum ſalubrem, qui reperitur in agricolis, atque alijs plurimis, qui & ad priuata, & ad publica munia longè melius ſeſe habent, quàm athletæ. Sententiam uerò hanc tanquam magni Hippocratis antiquiores omnes tam philoſophi, quàm medici admirati ſunt, atque eam celebrarunt; uocat autem in athletis diſpoſitionem, non habitum, quoniam in eodem connſiſtere non poſſunt. Et ſi uerò athletica antiquiſſima fuerit, de qua hic meminit Hippocrates, tamen parum ante Platonem emerſit, & conſtitit; ante uerò ea tempora & priſcorum ſeculis uir unus operarius naturalia exequens munia uerè bono habitu, robuſtus in certamen deſcendens non lucta modò, ſed & curſu certauit, atque etiam duobus his, & iaculo præterea, & diſco, & arcu, & curru unus alios omnes ſuperauit. Habitus uerò athletarum dicitur non ſimpliciter bonus, atque ita eum ad ſummum bonitatis pertingere; ſed ſicuti dicimus pulchram ſimiam, cubitum magnum, ſtateram in iuſtam, drachmam non rectam; hæc enim non ſimpliciter dicuntur, ſed ex addito, ſicut homo mortuus; cubitus enim magnus cubitus non eſt: neque in iuſta ſtatera ſtatera eſt appellanda; & drachma nõ recta drachma non eſt nominanda; non aliter quoque habitus athletarum, & bonus habitus athletarum neque habitus, neque bonus habitus eſt; atq; ob eam rem Hippocrates non habitum, ſed diſpoſitionem nominauit in præſenti loco: & hæc diſpoſitio non eſt naturalis, ſed præter naturam, cum & repletionem quo ad uaſa, & molem corporis habeat, ex quibus periculum imminet uel ſubiti interitus per uenarum interceptiones, & ſuffocationem caloris natura-

lis,

lis,uel disruptionis uasorũ: nihil enim adijci solidis corporibus potest: neque uenæ amplius habent conceptaculum, in quod alimentum distributum recipiatur, idq; si ad summum deuenerit; & si etiam ad summum non deueniat, insalubris tamen, & ex quacunque leui occasione in morbos incidere apta est: & ita his opponit habitũ salubrem, qui in agricolis in iuuentute conspicitur, qui cum naturalis sit, & ad omnes actiones utilis, & ad sanitatem quoq; tutus est, & ad omnes ciuiles operationes seu contemplatiuas, seu actiuas melior habitu athletarũ; immersa enim in athletis rationali facultate in sanguine ut in cæno, & carnibus obruta, & ad corporis actiones inutilis, & impedimento est, & ad contemplandum omnino inepta, neque tutus ad sanitatem habitus hic est: quapropter meritò ab omnibus & philosophis, & medicis uituperatur, eique & ad actiuas, & contemplatiuas actiones, & quod ad sanitatem spectat, præponitur salubris habitus.

XXXVIII.

Magnum quantitas bona coniectura ad uirtutem adaptata.

CVM pro habitu salubri excedente alimento facile induci posset athletica dispositio, idcirco infert Hippocrates, esse perdifficile, & magnum adaptare bona coniectura quantitatem ad uirtutem, ita ut non suffocetur, & inutilis sit, pericliteturque; neque in hoc solùm magnum est adaptare quãtitatem, sed & in omnibus medici operibus, seu curare, seu conseruare uoluerit: quoniam proprietas temperamenti, & compositionis cogno-

sci

sci non potest: quapropter ueram medicinam Apollini, & Aesculapio cócedunt omnes; quòd si hæc ad unguem cognosci possent, quales illi mente concipiuntur, tales possent sperare optimi medici euadere; quæ cum ignoretur; & certa rei quantitas in auxilijs ignorabitur. quare nec uoce doceri hæc, nec calamo scribi potest: & istud est, quod arti super additum, & incomprehensibile est; etsi uero cognosci non potest certa quantitas, bona tamē coniectura, quæ quodammodo media est inter ignorantiam, & perfectam scientiam, propè accedimus ad eius cognitionem: & istud magnum quid est, & non cuiuscunque, sed ualde exercitati, & solertis medici.

XXXIX.

Lac, & sanguis alimenti redundantia.

QVALIA alimenta per singulas ætates conueniant, docet Hippocrates: & quoniam puerulis conuenit lac temperatè calidum, & humidum, boni alimenti, liquidum, quod facilè & assumi, & deglutiri potest, & facilis concoctionis, prætermittit dicere hoc, quod manifestum est, puerulis lac conuenire, declarans plura de lacte, ut inferius patebit. Primò autem in præsenti particula docet lac esse alimenti redundantiam, in sequenti declaraturus, quomodo generetur. Copulat autem cum lacte sanguinem, & de lacte res clarissima est: humores enim ad utile geniti sunt ueluti superfluitates partis generantis; & ita semen in testibus fit, sicuti lac in mamillis; partes enim non quidem generant, quòd norint, ad quæ utilia sint, quæ ab ipsis generantur, sed per facultates naturales, & alterant passum, & sibi assimilant, atque eo, quod assimilatur, nutriuntur, reliquum uerò tanquam superfluum relinquitur.

linquitur. Sanguis uerò & ipse hoc modo appellari potest redundantia alimenti Iecoris: uel dicamus per sanguinem non quemcunq; sanguinem intelligere, sed eum, quem natura singulis mensibus per periodos euacuat: de qua periodo in sequenti particula statim uerba facit: & hoc genus sanguinis uerè dicitur redundantia alimenti, sicuti & lac: corpus enim, in quo est, nutrire non potest; sanguis uerò, qui est in Iecore genitus, & bonum est, & futurum est alimentum; tenenda tamen prima expositio. Redundantia uerò alimenti non excrementa dicuntur, sed quasi excrementa; & ita lac, & sanguinem nomine redundantiæ nominauit, non excrementorum.

XXXX.

Circuitus ad multa consoni ad conceptum, & huius alimentum; rursus autem sursum repit ad lac; & ad alimentum, & ad conceptum.

PROSEQVITVR differendo, quomodo lac generetur, aitq; fieri istud merito periodorum, quæ ad multa concurrunt ad conceptum gignendum, alendumq;, ad lac generandum, cùm rursus sursum repit sanguis, & ad alimentum mammarum, & ad infantem alendum. generatur autem lac in utero gerentibus determinato tempore, cum materia plurima retenta sanguis nempe per communes uenas utero, & mammis rursus ad mammas sursum repit. utitur autem circuitu pro determinato tempore: est enim circuitus reditus alicuius ab eodem ad idem, & uidetur tempus quoddam determinatum. cum autem

tempus

tempus sit numerus motus, &, ut asserunt Peripatetici, quandoque numerus dicatur de numerato, quandoque de numerante, cum numerans quantitas sit, quæ actioné non habet, dicamusque circuitus multa facere, pro moto, & mensurato intelligendum est, hic uerò est sanguinis motus ad diuersas partes; cum enim repit ad uterum, facit ad conceptum, & ipsius alimentum: cum uerò sursum repit per uteri communia uasa, & mammarum, facit ad generationem lactis, & ad infantis nutrimentum; causa uerò, quare post tantum temporis ad uterum, ut post uiginti nouem dies, & quare post sex menses ad mammas deueniat, est aggregatio talis, & tantæ materiæ, ut post tantum temporis stimulet naturam, & insurgat ad eam mouendam, & primi est temperies, & uictus, secundi retentio mensium tanto tempore; & hæc quidem expositio uidetur consona sententiæ medicorum de causis periodicationis. Est fortasse & alia huius loci expositio Peripateticis consona, cum omnia mensurentur periodis naturalibus, & generationes, & prægnationes, & uitæ, ut secundum sententias uarias in tanto tempore concipiant mulieres, & fœtus formetur, tanto in utero moueatur, tanto uterum gerant mulieres, & tanto uel istud, uel illud animal uiuat. Periodi uerò uocantur dies, menses, anni, & tempora hæc mensurantia, & insuper oppositiones, & cõiunctiones lunæ cum sole: hæc enim a sole lumen suscipiens fit alter paruus sol; pro ut ergo hæc calorem, & frigus temperant, faciunt generationes, & interitus; & quemadmodum mare, & uniuersa humidorum natura commouetur uentorum ratione, aer uerò, & uenti solis, & Lunæ, ita & ex his producta, & quæ in his degunt, ad hæc insequi necesse est: rationi enim consentaneum est, ut minus principalia insequantur periodos magis principalium. Hæc itaq; omnia ad Solis, & Lunæ motus deducuntur;

cuntur; Astrorum autem circulationis fortasse aliæ errant causæ. dixit uerò circuitus consonos ad multa, quoniam et tempus et motus, & diuersorum generatio sicuti in consonantijs, ita & hæc insimul esse habent.

XLI.

Viuificantur non animalia: uiuificantur animalia: uiuificantur partes animalium.

CVM de conceptu in superiori particula sermonem habuerit; quo modo periodi conceptui consonæ sint, nunc exponit, quid uiuificetur, quidq; uitam accipiat, dum aliquid concipitur, & inquit, uiuificari, uitam suscipere non animalia, & animalia, & partes animalium: quod manifestum fieri potest, cum uita nihil aliud sit, quàm participatio animæ nutritiuæ in calido naturali, & in eodem permansio, illa uiuificari dicentur, quorum animæ nutritiuæ inducuntur ad participandum, & permanendum in naturali calido: & istud uiuificare est id, quod aliqui dicunt educere formam de potentia ad actum; anima enim nutritiua in semine potestate, non actu existit, sed educitur de potentia materiæ in actum dato motu, ab utero per calorem moderatum, & per temperiem, qua in his reperitur. Viuificantur autem non animalia semen ipsum, quod non animal actu est, sed potestate: & uiuificantur animalia, semen nempe, quod potestate animal est. Viuificantur & partes animalium, sicuti & generantur: non enim totum animal, & eius partes simul generantur, sed prius una, tum alia, & aliæ: uiuimus enim primò uita plantæ, postea animalis uita: hacque de causa

primò generatur Iecur, poſtea cor, cerebrumque, & deinceps alia. Neque credendum, cum ait, uiuificari non animalia, intelligere ipſum de plantis, non enim de alimento plantarum, ſed hominis uerba facit. Vana eſt etiam diſputatio, an animal ſit, quod in utero continetur, nulliusq; uſus ipſi medico: neque diſputatum eſt hoc a ſummo medico, ut quidam arbitrantur, ſed ab aliquo nugaci, & ſophiſtico uiro, qui in ea diſputatione plurima falſa, rhetorica plurima ingerit: neque adducit ueram rationem, & demonſtratiuam: neque rem diſtinguit eo modo, quo diſtinguere deberet. Cum enim ſit conceptus, nondumq; genitum eſt cerebrum, & anima ſenſitiua inducta in eo conceptu, quod fit ſecundum diuerſos in diuerſo tempore, id quod conceptum eſt, animal non eſt, cum non ſit ſubſtantia animata ſenſitiua, ſed animata tantùm anima uegetatiua; genito poſtea cerebro, & inducta ſenſitiua anima in corpore conceptus, cum iam mouetur, & ſentit, proculdubio animal uocari debet, cum ei animalis diffinitio conueniat: tunc enim eſt ſubſtantia animata ſenſitiua; ipſum autem conceptum ſentire manifeſtum eſt ex motu, & ex alijs pluribus.

XLII.

Naturæ omnium indociles.

SVNT qui referant, & continuent hanc particulam cũ ſuperiori, quaſi uelit Hippocrates declarare, quod doceri non poteſt, quomodo natura uiuificet animalia. quæ ſententia ſatis extra propoſitum uidetur, & parùm artificioſa: neque Hippocratis dictis conſona eſt in ſubſequentibus. Intelligere etiam quis poſſet ſententiam hãc in eum ſenſum, quòd uelit naturam brutam eſſe, & indo-

ctam,

ctam, quoniam natura est illa, quæ uiuificat animalia, & nō animalia, & hoc facit sine aliqua cognitione, cum indocta sit, & bruta; quæ sententia tametsi uera sit, non est tamen consona ijs, quæ statim subiungit Hippocrates, sed aliud intendit; cum enim de alimento esset sermo, uelletq; loqui de commodis, & incommodis, quæ ab ipso proueniunt, consentaneum fortasse alicui uideretur, ut edissereret, quæ bona, quæ ue mala forent alimenta: atq; ita occurrens Hippocrates inquit, naturas omnium, hoc est singulorum alimentorum indociles esse: nō enim possunt doceri propter uaria temperamenta, quæ in humanis corporibus reperiuntur, & temperamentorū proprietates, ut alimentum, quod uni bonum est, alteri nocuum sit, & quod uno tempore nocuum est, alio tempore bonum sit: quod & ipse pluribus declarat in sequenti particula, cum inquit.

XLIII.

Sanguis alienus utilis, sanguis proprius utilis: sanguis alienus nocuus, sanguis proprius nocuus: humores proprij nocui, humores alieni nocui: humores alieni conferentes, humores proprij conferentes: consonans dissonans, dissonans consonans: lac alienum bonum: lac proprium nocuum: lac alienum nocuum, lac proprium iuuans.

EXPONIT propositam sententiam Hippocrates inducendo in pluribus: & primo inducit in sanguine, quod est quasi alimentum, & ait, sanguinem alienum quandoq; utilem esse; uocat autem sanguinem alienum, qui contrarius est præexistenti sanguini: atque hoc modo cibaria aliena, quæ generant sanguinem contrarium præexistenti, contraria sunt, & cum quis supercalefactus est, sanguinemq; calidiorem habet, ea quæ refrigerant alimenta, & sanguinem minus calidum generant, utilia erunt. Quandoque uerò sanguis proprius utilis est, ut cum est temperatus, & ita alimenta generantia sanguinē temperatum, uel non ualde excedentem, quem propriū uocat, utilia sunt. Sanguis alienus nocuus: sanguis contrarius temperato, uel parum excedenti temperamento nocuus est. Sanguis proprius, id est similis excedenti temperamento nocuus est. Humores proprij quandoque nocui, cum excedunt ualde: quandoq; contrarij humores geniti, qui alieni uocantur, nocui sunt, sicuti in temperatis. Humores alieni conferunt in ualde distemperatis: humores proprij, id est similes, conferunt in bene temperatis, eodemq; etiam modo, quæ hos generant alimenta. Consonans dissonans in ualde distemperatis, id est simile, contrariorum enim moderato usu indigent; Dissonās consonans contrarium conueniens est. Probat etiā exemplo sumpto ex lacte, lac enim contrarium, quod alienum uocat, puero ualde distemperato bonū est. lac proprium, id est simile, in intemperie nocuum est. lac alienum nocuum est temperatis: Lac proprium iuuat temperatos, & est lac simile temperamento.

XLIIII

Cibus iunioribus parum maceratus, senibus

bus uerò summè immutatus: his, qui in uigore ætatis, impermutatus.

APERIT in præsenti textu, qualia cibaria conueniant diuersis ætatibus: quamuis enim singulorum ciborum naturæ doceri non possint, qualia cibaria conueniant satis declarari potest; meminit autem de tribus ætatibus de iunioribus nempe, senibus, deq; ijs, qui in uigore ætatis constituti sunt: inquit autem Iunioribus pueris nempe, & adolescentibus conuenire cibaria parum macerata, quoniam hæc humidiora, sicuti & ætates illæ; sint autem parum macerata, quemadmodum carnes hesterno die mactatæ, uel ex se molliores, uel ex præparatione, & decoctione. Non est autem dicendum, ut quidam, cibum parum putrefactum conuenire iunioribus, cum nulli conueniat cibus, a quo putridi generantur humores: neque id sonat dictio Hippocratis; sed uel parum maceratus, uel parum immutatus. senibus uerò summè immutatus conuenit, quoniam imbecillum, & paucum habent calidum innatum; ob quam rem fit, ut ijs commoda sint cibaria molliora, optimè cocta, & carnes benè maceratę. Iuuenibus ijs quidem, qui in ætatis uigore sunt constituti, cùm igneum habeant calorem, mollia, macerataquę corrumperentur: ob id conueniunt ijs impermutata cibaria, non quod crudas comedant carnes, sed neq; ualde molles, neque ualde maceratas. Quod uero de ætate in hoc loco ab ipso dictum est, intelligatur & de cæteris, quę eiusdem sunt rationis: & uno posito alia dantur intelligi, & sunt corporis temperatura, habitus, consuetudo, exercitia, regio, tempus anni, & cæli constitutio: de quibus facile poterit, ueluti & de ætate, unusquisq; ratiocinari, quibus conueniant parum macerata, quibus plurimùm, & quibus impermutata.

XLV.

Ad formationem dies trigintaquinq; ad motum septuaginta, ad perfectionem ducenti, & decem; alij dicunt ad formam quadraginta quinq;, ad motum sepuaginta sex, ad exitum ducenti, & decem; alij ad speciem quinquaginta, ad primum saltum centum, ad perfectionem trecenti; Alij ad discretionem quadraginta, ad transitum octuaginta, ad elapsum ducenti quadraginta.

QVONIAM dixerat circuitus consonos esse ad fœtum, & quia fœtus proueniunt etiam ex alimento ultimo, nempe seminibus, idcirco ponit quatuor sententias de formatione, motu, & exitu conceptus positurus in subsequenti particula iudicium, & sententiam propriam. uocat autem dies soles, quoniam ex motu solis mensurantur dies. Diuersæ autem fuere sententiæ de his rebus non tantùm apud eos, qui Hippocrate ipso fuere antiquiores, sed & inter posteriores diuersi diuersa sunt opinati, ut fuerint aliqui, qui dixerint, formationem in tanto tempore fieri, ut in eius duplo fiat motus, a cuius triplo perfectio, & exitus, ut uerbi gratia formatio sit in quadraginta diebus, motus in octuaginta, perfectio uerò, & exitus ducentis quadraginta. Natæ uerò sunt tot sententiæ, quòd unusquisq; istorum ex particulari intulit uniuersale, sicuti contigerat illis experiri.

Non

XLVI.

Non est, & est: fiunt autem in ijs, & plura, & pauciora, & totum, & secundum partem; non multò autem plura, uel pauciora; pauciora uero tot, & quæcunq; alia his similia.

POSITIS quatuor sententijs de formatione, motu, & elapsu ipsius fœtus exponit sententiã suam in hac re, aitq;, & esse, & non esse id, quod ab una quaque harũ sententiarum positum est: & non modo fiunt statutis temporibus iam enarratis, sed in pluribus, & paucioribus diebus & totius formatio, & perfectio, & paruis, sed non multò pluribus, uel paucioribus: non enim Hippocrates ex ijs est, qui dicunt nullum tempus præfinitum esse partui, sicuti prætor ille, qui admisit ad hæreditatem natum decimo quarto mense, sanciuitq;, nullum esse definitum tempus pariendi; in paucioribus uero diebus, & tot, sicuti habet prima sententia in triginta quinq; formationem, in septuaginta motum, ad elapsum ducenti, & decem, & in quibuscunque alijs temporibus huic termino proximis. Istud uerò prouenit, quoniam ad fœtum formandum concurrit alteratrix uis, & formatrix: illa uerò in diuersis minus, uel magis potens est, & materia aptior, uel ineptior: ob quam rem non in omnibus idem penitus tempus est formationis: & cum formatus est, languidior, aut robustior citius, aut tardius mouetur: & si robusti sint cotilidones, prægnãsq; multo abundet sanguine, nec ualidus adeò sit fœtus, tardius elabitur: sin his contraria fuerint, citius. cæteris etenim animantibus statum

est

est tempus pariendi, homini uerò multiplex. Colligitur autem unum ex his, quæ docuit Hippocrates, cum possint hæc fieri pluribus diebus; quàm dictum iam sit in sententijs positis, & una illorum dicat, ad perfectionem requiri dies trecentos, uidetur, si in pluribus fiat perfectio, & exitus, mulieres & in undecimum usque mensem uterum ferre posse, quod postea tenuerunt multi philosophi, & medici. Hæc quidem Hippocratis sententia satis obscura uidetur, non dixerim confusa, cum non distinguat de formatione maris, & fœminæ, quæ longe distat: mas enim, ut & ipse alibi asserit, in triginta diebus, fœminæ quadraginta diebus formantur: & Peripatetici dixerunt, marem in aborsu cerni formatum quadraginta diebus, fœminam uerò non ante quartum mensem, adeo ut longe pluribus diebus formētur fœminæ, quàm uoluerint antiquiores isti; & fortasse cum liber hic sit commentarium ad memoriam conscriptum, non curauit, ut hæc distingueret: distinxit autem in proprio loco, Mas etiam in dextris mouetur quadraginta diebus, quapropter longe paucioribus, quàm uoluerint antiqui, & elabi potest etiam ualde paucioribus diebus, cum natus in centum octuaginta duobus diebus, cum dimidio, & particula diei uitalis sit, ut alibi asserit, & idem sentiant & alij; in longe itaq; paucioribus, quàm uoluerint antiqui, formari, moueri, & elabi potest. his uerò dicendum, hoc rarò esse, & ita non infringi sententiam Hippocratis, & antiquorum; & sunt etiam mulieres, quæ octauo mense pariunt, & uitales, ut asserunt Peripatetici.

XLVII.

Osium alimentum ex confractione, naso bis quinque; maxillæ, & clauiculæ, & costis

duplicia:

duplicia: cubito triplicia: tibiæ, & brachio quadruplicia; femori quintuplicia, et si quid in his magis, uel minus potest.

EX alimento prouenit unum commodum in confractis ossibus, nam eius beneficio ossa glutinantur, ubi confracta fuerint; ex primo enim alimento, quod alimentum ossa nutrit, generatur callus, quo conglutinantur ossa, & ferruminato fungitur uice ossis. cōfractis autem ossibus ad distans ex alimento generari os non potest, cum uis ipsius ossis nutritiua tantùm extendi, & transmitti nō possit: & immutationem adeo perfectam facere non potest, ut os generetur, sed loco eius callus, & quid ossi proportionatum fit. Hoc commodum ex alimento noluit reticere Hippocrates, conglutinationes enim istæ statis periodis, & perficiuntur; & quoniam in diuersis ossibus diuersis periodis fiunt hæ conglutinationes, declarat Hippocrates hoc, & paucis exponit uerbis, ut plurima uideātur subintelligenda, si sensus erui debet. Primò igitur inquit (alimentum ossium ex confractione) hoc est cum cōfracta sunt ossa, agglutinationes fiunt in ossibus narium in bis quinque diebus: in maxilla uero, clauiculis, & costis in duplicato tempore, uiginti nempe diebus, quod & ipse alibi etiam asseruit; confracto uerò cubito, tibia, & brachio fiunt conglutinationes in quadruplici tempore, quàm fiant in naribus, & ita quadraginta diebus; confracto autem osse femoris in quintuplici tēpore, id est, quinquaginta diebus, quod ab ipso etiam alibi dictum est. Verùm quoniam in his nihil perpetuum, ut dixit etiā alias, in tanto tempore hæc fiunt, & si quid potest uel magis, uel minus in his in maiori, uel minori tempore hæc fiunt:

& alibi enumerauit ætatem pro exemplo dans alia intelligere: pro ut enim uirtus naturalis magis, uel minus potest, ita citius, uel tardius hæc talia peraguntur, & pro ut maiori, uel minori copia materiæ indigemus ad conglutinationem confractorum ossium, ita in maiori, uel minori tempore ossa illa conglutinantur; minori materia indigemus in tenuioribus, & minoribus ossibus, maiori in crassioribus, atq; maioribus. obseruatum autem est experimento his periodis hæc talia perfici.

XLVIII.

Sanguis humidus, & sanguis solidus: sanguis humidus bonus, sanguis solidus malus: ad aliquid omnia mala, & bona.

DIxerat in superioribus Hippocrates omnium alimentorum naturas indociles esse, interiecit sententiam de periodis; nunc uidetur reddere rationem, cur singulorum alimentorum facultates doceri non possint proposito exemplo de sanguine, & inquit, sanguinem esse quendam humidum, & quẽdam solidum, sanguinemq; humidum bonum esse quandoque sicuti in exsiccatis, & sanguinem solidum malum, atq; econuerso contingere posse: & reddit rationem & huius, & eorum, quæ superius dixerat, quòd ad aliquid dicantur omnia bona, & mala. dicitur autem sanguis solidus in respectu, id est minus humidus: & sanguis humidus humidioribus temperaturis, ætatibus, habitibus, consuetudinibus, & sexui, cum conseruare intendimus, bonus: & cum præseruare in æstate, regione sicca, & tali constitutione; solidus uerò, & siccus

cus sanguis his malus; & in contrarijs bonus solidus, ma lus humidus. contrarius uerò debet esse sanguis in omnibus, cum mutare temperamentum uoluerimus. Omnia uerò bona, & mala ad aliquid esse superius iam declaratum est.

XLIX.

Via sursum, deorsum una.

QVONIAM dixerat ad aliquid omnia mala, & bona, quasi declarans se in pręsenti particula inquit, uia sursum, & deorsum una: & licet uideatur sententia satis uulgaris, tamen ad declarationem eius, quod dictum est, maximè facit: & uidetur clarè applicari posse ad id; neque intelligenda hæc sententia de uia, per quam attrahitur nutrimentum ad membra, & a membris ad membra, quoniam de ea superius abundè actum est: & hic esset inutiliter repetitum, neque cohęrens sententiæ prius dictæ, & dicendæ.

L.

Facultas alimenti melior, quàm moles: moles alimenti melior, quam facultas: & in humidis, & in siccis, detrahit, & apponit idem; huic quidem detrahit, huic uero apponit idem.

PROSEQVITVR declarare, quomodo naturæ singulorum alimentorum sint indociles considerata facultate, & mole alimenti: inquitq; facultatem alimenti me

 liorem

liorem esse, quàm molem. Intelligit autem per alimenti facultatem uim magnam alimenti in nutriendo; per molem uerò paucam uim in magna mole. Facultas itaq; alimenti melior est, quàm moles; cum uires roborare intendimus, & citò, debemus uti facultate alimenti, non mole, & alimento, quod polleat multa facultate nutriendi, quales sunt carnes optimæ, oua, & uina uinosa; ita ut quandoq; facultas alimenti melior sit, quàm moles; addit postea molem alimenti meliorem esse, quàm facultatem; in quibus timemus de plenitudine, & maximus est appetitus ad cibaria: his enim conueniunt olera, pisciculi, fructus, aqua, uina oligophora; hoc uerò declaratum est etiam longo sermone ab Arabibus, & ex hoc loco desumptum. (& in humidis, & in siccis alimentis) idem contraria facere natum est in diuersis: oua, carnes optimæ huic quidem apponunt, hunc nutriunt, huic uero detrahunt: in igneo uentriculo corrumpuntur, & detrahunt, nec nutriunt: in temperato nutriunt; uina uinosa calidiorem non nutriunt, sed lædunt, nutriunt autem frigidum, uel temperatum; pari modo & alimenta, quæ plurima pollent facultate, plethoricum lædent, boni habitus uirum non lædent; & quæ mole, & non plurima facultate alendi pollent, plethoricum alent, boni habitus uirum non nutrient, sed cum parum alimenti præstent, detrahere dicentur. hæc uero ultima particulæ pars difficilis admodum uidetur.

LI.

Venarum constrictiones, & respiratio spiritus secundum ætatem, & consonantia, & dissonantia, et ægritudinis, & sanitatis signa,

& sanitatis

& sanitatis magis, quàm ægritudinis, et morbi magis, quàm sanitatis, alimentum etenim & spiritus.

COMMODVM unum habemus ex alimento spiritus, quod est, cum ex modo hauriendi tale alimentum capiuntur signa sanitatis, & morbi, & addamus salutis, & mortis, quod alibi ipse dixit. est autem alimentum spiritus aer attractus per respirationem, & transpirationem. fit uerò respiratio dilatatis pulmonibus, & postea constrictis, ut dictum est; transpiratio autem per dilatationem uenarum pulsatilium, & constrictionem: & ita uocat pulsationes constrictiones uenarum. Tales ergo pulsationes, & respiratio quandoque sunt consona ætati, quandoque dissona: & per ætatem intelligantur consimilia temperies, corporis habitus, sexus, consuetudo, regio, anni tempus, & cæli constitutio: diximus enim sæpius Hippocratis morem esse uno horum posito alia intelligenda relinquere. Pulsus autem, & respiratio non tantùm in rithmo sunt consona, & dissona, sed etiam in alijs differentijs, uehementia, magnitudine, uelocitate, frequentia, & cæteris: & cùm sunt consona, sunt magis signa sanitatis, quàm morbi: cum dissona, morbi magis, quàm sanitatis; & ultimo dat rationem (quoniam alimentum & spiritus) & per spiritum intelligit aerem; & quemadmodum consonans, uel dissonans alimentum sic cum susceptum indicat sanitatem, & morbum, ita & quæ ex spiritus alimento capiuntur, signa sunt sanitatis uel morbi; si enim capiantur in debita quantitate, modo, & tempore, & concinunt; signa sunt sanitatis, & quòd neq; aucta sit necessitas, neque læsa uirtus, neque instrumenta

læſa; ſi uerò aucta neceſſitas ſit, uel ualdè imminuta, & immutata, uel & uirtus,& inſtrumenta læſa, diſſona hæc erunt,& ſigna ægritudinis. Et ſi uerò aer primò attrahatur pro alimento ſpiritus, tamen & pro cordis refrigeratione, & pro euentatione caloris naturalis ſuſcipitur; & ad hæc natura utitur & pulſu,& reſpiratione. Cum itaq; ad hęc tria longe diuerſa utatur natura his,& ſpiritu attracto, per conſtrictionemq;, quæ concurrit in pulſu, id quod ſeparatum eſt ſemiuſtum quidem per aerem attractum euacuat, non tantum quoniam aer eſt alimentum, ex pulſu, & anhelitu ſumimus ſigna ſanitatis, & morbi, ſed etiam quoniam aer attractus inſeruit refrigerationi cordis,& ſpiritus,& eo mediante expurgantur ſemiuſta; Hippocrates autem tantùm ponit rationem ex præcipuo uſu,& alias reticuit,quæ facilè deduci poſſunt. Ex hoc loco uerò unum percipitur primò Hippocratē nouiſſe pulſum,& magis ex hoc loco, quàm ex alio,qui ſolet adduci, quoniam locus ille eſt in libro ſpurio Hippocratis;capitur præterea non patuifeciſſe pulſum, cum in eodem ordine reponat cum reſpiratione. Quare uerò nullibi egerit de pulſu, ſicuti in Prognoſticis de reſpiratione, fortaſſe dicendum non eſt,quòd uel ignorauerit,uel patuifecerit, ſed quoniam nec ipſe omnia ſcribere uoluerit, ac potuerit; & in hoc cum ſe conſequantur anhelitus, & pulſus, & de anhelitu abundè egiſſet, nihil dixit de pulſu; fortaſſeq; in libro ſummi medici culpa librariorum deficiebat hæc ſententia. Dubium uerò uidetur, quomodo reſpiratio, & pulſus conſona indicent magis ſanitatem, quàm morbum, & diſſona magis morbum, quàm ſanitatem, quæ enim per comparationem dicũtur,utriq; conuenire dicuntur? an conſonantia hæc, & diſſonantia latitudinem habent,quæ cum ad extremum, & proximũ inter ſe peruenerint, uel leuem morbum,uel leuem ſanitatem

tatem ostendere possunt: cum illa parum dissona, hæc uerò multùm dissona.

L I I.

Humidum alimentum facilius transmutatur, quàm siccum: siccum alimentum humido facilius transmutatur.

IN præsenti particula satis clara de eo alimento, quod futurum est alimentum, sermonem habet: de quo plures subiungit sententias: & hic loquitur de alimento actu humido, & sicco actu declarans, quod facilius istorum transmutetur: & contrarias ponit sententias dicens, humidum alimentum facilius transmutari sicco, & siccum humido. Seruantur uerò contradictoriæ sententiæ respectu diuersorum corporum, uel eduliorum, corporum quidem humida corpora facilius transmutant humida, sicuti pueri; ætate uerò florentes facilius transmutant sicca ratione similitudinis, adeo ut transmutatio ista, quæ concoctio est, & assimilatio, facilius in similibus efficiatur; & quod exempli gratia de ætate dixi, & de temperie, corporis habitu, deq; alijs, quæ eandem habent uim, intelligendum. Ex parte uerò alimenti facilè transmutatur uinum, difficulter carnes, facilè carnes auium transmutantur, difficulter pultes. Facta itaq; comparatione inter humida, & sicca facilius transmutantur humida alijs omnibus sepositis: facta uerò aliter comparatione aliquádo quidem sicca, aliquando humida facilius transmutantur.

LIII.

Quod difficulter alteratur, difficulter consumitur: quod facilè apponitur, facilè consumitur.

QVONIAM sermonem habuit de alimento, quòd futurum est alimentum, loquutusq; de ijs est, quæ facilè alterantur humida, uel sicca, subiungit hic sententiã utilissimam, ut sciamus, quod nam alimentum facile discutiatur è corpore nostro, cum etiam assimilatum est, quodq; difficulter, inquit autem, alimentum, quod difficulter alteratur in uentriculo, primis uenis, & ambitu totius, difficulter consumi, sicuti nutrimentum ex porcinis carnibus, quod crassum, & uiscidum est; quod uerò facilè apponitur, & est quod facilè concoquitur & in uentriculo, & primis uenis, facilè etiam dissipatur, ueluti alimẽtum ex ficis, & uuis: cuius rei argumento esse possunt ij, qui uinearum fructus custodiunt, qui cum per duos continuos menses solis his nutriantur, corpulenti fiunt; at caro, quæ ex ipsis gignitur, non compacta, sed laxa, & humida, inanisq; apparet; Quapropter cum ab usu horum desierint, celeriter constringitur, consumiturq;: non enim aliqua participat crassitie, aut uiscidicate; & hæc sententia reposita est ab Hippocrate inter aphorismos, cum ait, eorum, quæ nutriunt uniuersim, & uelociter, ueloces quoq; fiunt excretiones.

Et

LIIII.

Et quicunq; celeri appositione opus habent, humidum medicamentum ad resumendas uires optimum: quicunq; uerò celeriori, per olfactum; quibuscunque uerò tardiori appositione opus est solido alimento.

IN præsenti particula declarat, quæ celeriter, & quæ tardè reficiant uires alimenta: & ait, quicunque celeri appositione ad resumendas uires opus habent, ijs alimentum humidum optimum esse, intelligēdo humidum humidum humiditate actuali: quicunque uerò celeriori, ijs per olfactum bonis odoribus uires restaurari; qui tardiori, siccis actu alimentis, & solidis; cum enim concoctio alimenti in uentriculo per quādam fiat elixationem, solida prius humidiora, & molliora reddi debent: humida uerò iam semiconfecta facilius conficiuntur; quapropter fit, ut in morbis acutis non solido alimento, sed sorbitionibus tantùm utamur: non enim negotium præbent uentriculo, & citissimè permeant, & distribuuntur; inter cætera uerò omnia celerrimè nutrit uinum. Vocat autem humidum alimentum medicamentum ad resarciendas uires, quoniam correctio magnorum lapsuum medicatio dicitur; & magnus est lapsus in uiribus, cum quis ad illas resarciendas celeri indiget appositione. Quomodo uerò per odorem, & olfactum fiat nutritio, iam dictum est.

LV.

Musculi solidiores difficilius alijs resarciuntur præter os, & neruum.

CVm superius meminerit de periodis in resarciendis ossibus diuersis, posteaq; declarauerit, quæ cito, quæq; facilè nutrire possint, hac in parte declarat, quæ partes alijs difficilius, cum emaciatæ, ac deperditæ fuerint, resarciantur: inquitq;, musculos, cum solidiores sint, difficilius quàm alia omnia, cum exsiccata sunt, deduci ad bonum habitum præter os, & neruum; nerui etenim, & ossa ipsa ita interdum emaciantur, & exsiccantur, ut difficulter admodum deducantur ad bonum habitum: sed hoc in ossibus insensibile est, in neruis sensibile. partes uerò carnosæ, & molles, & adeps, & humiditates dispersæ prius, & facilius deperduntur, faciliusq; etiam resarciuntur: non enim indigent solido adeò, & crasso alimento, uelut musculi; & ita necessariò exponendum, quoniam uerbum græcum nunquam colliquescere significare poterit: neque ulla in hac re insurgere dubitatio potest.

LVI.

Ægrè trasmutabilia denudata, secundum genus ipsa seipsis fortiora, quàm deceat, quapropter ipsa seipsis difficilius colliquantur.

Hic

HIc de ijs, quæ difficilius conficiuntur, & solido, & difficulter euacuabili alimento est sermo. quid autem per denudata intelligat, dubium est; intelligit autem uel extremas partes, quæ tanquam nudę, & iniurijs expositæ uidentur, & nō tutatæ, sicuti cerebrum per cranium, & cor per pulmones, per spinam, costas, & os pectoris, & cætera uiscera per abdomen: & de his uera est sententia Hippocratis, nempe ægrè transmutari, concoqui, & pro diuersis generibus membrorum alia difficilius, alia minori cum difficultate; uel intelligit uiscera, & hæc, non cute, neç operculo integuntur densiori, sed simplici membrana, ut denudata uideantur: hæc enim ægrè transmutātur, colliquanturq́;, uel concoquuntur, uel discutiuntur: & aliud alio secundum genus difficilius. & hæc expositio ad ueritatem magis accedere uidetur, cum nihil sit, quod edatur in corpore animantium extimum præter cutem.

LVII.

Pus ex carne, purulentum ex sanguine, & ex alia humiditate.

EXPONIT in præsenti textu Hippocrates, ex qua parte nostri corporis generentur pus, & purulenta, quoniam & hæc ex alimento generantur. Pus uerò est substantia illa alba genita a calore naturali, & præternaturam. generatur autem ex alimento ipsius carnis, & præcipue cum ulcerata fuerit, uel inflammata; & per carnem intelligit non tantùm ueram carnem, quæ semper pars est musculi, sed & uiscerum, quæ propriè affusio nuncupatur. Purulentum uerò uocat ichorosum quid, & sa-

niem, quæ ad naturam puris accedit, & hoc ex sanguine generatur, & ex alijs humoribus, cum immutantur, ut patet in sanguine per sectionem uenæ extracto.

LVIII.

Pus ulceris alimentum.

IN hac parte declarat, ex qua carne quandoq; fiat pus, de quo meminerat in præcedentib; & inquit, fieri ex alimento carnis ulceratæ: hoc enim uult, cum inquit, pus ulceris alimentum: non quidem quòd nutriat ulcus, ut uidentur uerba sonare; sed ex alimento partis ulceratæ generetur pus; ulcus etenim est solutio continui in parte carnosa ex erosione proueniens: & ubi erosio, ibi pus: unde Arabes definiunt ulcus, quòd sit, solutio continui cum pure.

LIX.

Pus alimentum uenæ, arteriæ.

DOCET nunc pus etiam generari ex alimento uenarum, & arteriarum, non quòd pus nutriat hæc, & uerè istud non dicitur pus; sed puri quid simile: & est id, quod in urinis subsidet, quod est excrementum, & id, quod subterfugit ueram concoctioné, quodq; superfluit, ut a summis medicis declaratum est.

LX.

Medulla alimentum ossis, quapropter callum contrahunt.

Siue

SIVS medulla sit ossis excrementum, ut uoluere Peripatetici, siue alimentum, ut medici, prima pars huius sententiæ clara, & aperta est; medulla enim (ut medici dicunt) est alimentum ossis, & esse potest, ut philosophi asserunt, excrementum ex alimento ossis: & utraq; dicendi formula usus est Hippocrates in superioribus. Secunda uerò particula huius partis est corollarium, quod ex sententia proposita infertur, quòd hac ratione callum contrahunt, quoniam copiosum est alimentum ipsius ossis; cum medulla alantur ossa, plurimū est quod superfluit, reponiturq; in cauitatibus, uel sensibilibus, & magnis, ubi adsunt, uel paruis, & insensibilibus ferè; & tempore necessitatis alimenti, & ex ea quæ iam reposita est, aluntur ossa. uerisimille est enim naturam, quæ sine cognitione agit, præsente materia alba, quæ præsefert naturam ossis, hanc non relinquere, ut aliam ex sanguine paret; neque dicendum, ut quibusdam uisum est, medullam esse excrementum tantum; sed est excrementum utile, & pro alimento; & eo modo fortasse possunt conciliari medici, & philosophi, quòd, inquam, & alimentum sit, & excrementum, cum sit excrementum & ad humectanda ossa, & ad nutrienda tempore necessitatis.

LXI.

Facultas omnia auget, & nutrit, & germinare facit.

CVM multa dixerit de materia nutritionis, nunc sermonem habet de efficiente, & inquit, hanc esse facultatem, quæ & auget, & nutrit, & ad generationem facit. Cum uerò essentiam, & propriam animæ substantiam ignoremus,